G. M. Richards
Diss. Leipzig
1886.

DE 'DUM' PARTICULAE

APUD

PRISCOS SCRIPTORES LATINOS

USU

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS MOREY RICHARDSON

MASSACHUSETTENSIS.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXXVI.

PRAEFATIO.

Scriptores qui opusculo materiam praebeant usque ad tempora Ciceroniana cum inscriptionibus omnes versavi, neque Varronem, Lucretium, Catullum, Sallustium, qui antiquitatem plus minus redoleant, omittendos putavi. Sed prius de particulae etymologia pauca dicenda.

Qua in re, ut opus est aleae plenum, ea tantum profero de quibus inter viros doctos satis constat.

Primum quidem dubitari non potest, quin 'dum' particulae radix subsit pronominalis *demonstrativa*[1]. Qua ex radice, sive eam 'da' sive cum Ribbeckio 'd' tantum vocare lubet, pronomen oriundum demonstrativum olim sine dubio in lingua Latina usurpabatur. Sed praeter reliquias admodum paucas plane interiit, quarum tamen in numero particula nostra reponenda est.

Est igitur 'dum' casus aliquis huius pronominis ruinae superstes, vel, ut cum grammaticis recentioribus loquar, 'ein erstarrter Casus'. Qui tamen sit casus, dicere non habeo. Nam ne cum Bréalio[2] et Schmalzio[3] accusativum singularem neutrius generis eum esse putem, hoc praesertim dissuadet, quod in his pronominibus 'd' littera huius casus clausula esse solet, cui quamquam 'm' in 'ipsum' et 'ν' in

1) Cf. Ribbeck. Beiträge z. Lehre v. d. Lat. Partikeln, p. 4; H. Weber. Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen XIX (1865), p. 42; Bréal. Le thème pronominal 'da', Mem. de la soc. de Linguist. I, p. 193 sqq.

2) Ibid., p. 196.

3) Handb. d. klass. Alterthumswiss. II, p. 346.

1*

'τοσοῦτον' repugnant, nihil in voce cum pronominum, ut ita dicam, primordiis sine dubio nata ad iudicium conferre possunt. Itaque sub iudice lis est, quod tamen quaestionis nostrae exiguum afferet detrimentum, cum in exemplis proximo in capite proferendis *pristina vis particulae demonstrativa* omnino perspicua sit.

Eandem radicem, ut voces Latinas cognatas breviter enumerem, respicit vocula '-dō', quam cum Ribbeckio pro ablativo habeo, in verbis 'quan-dō', 'aliquan-dō', 'endo'[1] ('in-du'), 'dō-nec'[2].

Praeterea ex hac radice provenit syllaba '-dam' in verbis 'qui-dam' et 'quon-dam' et '-dem' quod in 'i-dem', 'tan-dem', 'qui-dem' inest. Hanc radicem etiam respicit 'de'[3]) locativum, quod adverbium, praepositio, suffixum occurrit.

Subest denique compluribus suffixis nominalibus quae excussit Corssenus (Krit. Beitr., p. 97 sqq.), quamquam ea aliter orta esse putat. Omnino quae de universa *origine* vocularum 'dum', '-do', '-dam', '-dem', '-de' protulit idem vir doctus (Ausspr. II, p. 283; Krit. Beitr., pp. 82, 497; Krit. Nachtr., p. 154), qui eas ex radice 'div' oriundas esse vult, cum Ribbeckio, Bréalio, Webero reicienda putavi.

Transeo ad Graecos. Hic occurrit radix nostra in coniunctione δε, cuius vis demonstrativa in verbis ὅδε, ἥδε, τόδε et aliis eminet. Comparare licet encliticum δι in ταυτηνδί, τουτοδί. Nec aliter δε cum accusativis quasi praepositio usurpatur velut in ὅνδε δόμονδε, οἴκαδε. Non enim *eget* hac vocula accusativus, qua distinguitur a reliquis sententiae verbis atque perspicuus redditur.

Trahunt ab eadem radice originem, ut opinatur Bréalius, genitivi δεῦ-τε et δεῦ-ρο et instrumentalis δή. Exstat sine dubio locativus in -δοι in ἔν-δοι.

---

1) Cf. Glossae nominum ed. G. Loewe, p. 186, Prodromus, pp. 100. 344.

2) Cf. Ribbeck. l. c., p. 49; Bréal. l. c., p. 200; Schneider. De coniunct. donec origine e. q. s. (Programm d. Gymnasiums zu Gleiwitz v. Jahre 1866), p. 2, qui tamen '-dō' dativum esse putat; G. Groeber. Archiv. f. Lat. Lexicographie e. q. s. II 1, p. 103 sqq.

3) Cf. Ribbeck. l. c., p. 4; Corssen. Krit. Beitr., p. 500: 'Einen schlagenden Beweis dafür, dass 'dum' desselben Ursprungs ist wie '-dem', '-de' bietet das Oskische; wo ein enklitisches '-du' für '-dum' erscheint genau mit der Bedeutung von '-dem' in 'is-i-du-', Lat. 'i-dem', 'iussu' fur * 'ius-du', Lat. 'ii-dem''.

Restat syllaba -δον in ἔν-δον, quam idem esse ac 'dum' vel 'dom' confidenter affirmo. Praebet sane hic -δον significationem *localem*, 'dum' autem semper *temporalem*. Sed consentiunt viri docti, notiones temporales ex localibus omnino esse ortas, qua in re proferenda sunt quae dixit H. Weber. (l. c., p. 39): 'So wenig es nun bisher noch gelungen ist, bis zu der ursprünglichen Bedeutung der Pronominalstämme vorzudringen, so ist doch gerade ihr charakterisches Kennzeichen, dass sie d e u t e n d e n Inhalt haben. Demnach sind sie in einer ursprünglicheren Bedeutung, als wie wir Pronomina zu gebrauchen pflegen, lokaler[1]) Bedeutung' e. q. s.. Itaque 'dum' quoque particulam 'antiquissimis temporibus' *localem* habuisse significationem, concludere liceat. Quemnam vero *casum* -δον praebeat, ut in 'dum' quaerere destiti.

Omnino invenitur haec radix demonstrativa in unaquaque lingua Indo-Germanica. Ne tamen formas enumerando longus sim, satis erit Brealium[2]), Fickium[3]) Curtium[4]) auctores citare.

His praemissis, ad ipsos particulae usus et primum quidem ad usum adverbialem pergamus.

---

1) Cf. Woelfflin. Sitzungsber. d. phil. philol. u. hist. Classe d. K. B. Acad. d. Wiss., 1882, fasc. III, p. 458; Draeger. Hist. Synt. d. Lat. Spr. II, p. 514; H. Kluge. Die consecutio temporum, p. 75.

2) L. c., passim.

3) Vergleich. Wörterbuch d. Indo-Germ. Sprachen I, p. 606.

4) Grundz. d. Gr. Etym.[5], p. 233.

Cap. I.

De 'dum' particula adverbio temporali.

A.

De adverbio per se usurpato.

Initium[1]) ab Acci tragici loco (v. 395 R.) facimus magni pretii aestimando. Narrat ille in Medea pastor, se monstrum horrendum, id est Argo navem, vidisse, quae super mare inveheretur, utiturque his verbis: 'Ita dum interruptum credas nimbum volvier, Dum quod sublime ventis expulsum rapi Saxum aut procellis, vel globosos turbines Existere ictos undis concursantibus'. Hic 'dum' adverbium temporale demonstrativum patet. Indicant particulae quasi digiti duo temporis spatia inter se disiuncta atque discreta, ut sic locum audacter reddere liceat: 'Die Weile (bald) möchtest du glauben, dafs eine aufgeborstene Wolke dahinrollt, die Weile (bald), dafs ein fortgerissener Felsen von Winden oder Stürmen dahingetragen wird' e. q. s.. Commendatur praesertim haec particulae interpretatio, cum adverbium 'die Weile'[2]) Theodiscum re vera occurrat, velut in hac sententia: 'wir wollen die Weil(e) zusehen' (Vernaleken, Deutsche Syntax II, p. 184).

Alterum locum, qui particulae vim demonstrativam clarius fortasse repraesentat, ex Mercatore Plautina (v. 348)[3]) affero: 'tantus cum

---

1) Locos nisi hic sub A. omnes servato temporis ordine laudavi.

2) Cf. Koch Hist. Gram. d. Engl. Sprache ² II, p. 498: Heo isegen scipen an and an *while* (wile) ma, *while* nan; e. q. s. (bald mehrere, bald keines).

3) In Bacchidibus, Menaechmis, Milite Glorioso, Mostellaria, Persa, Pseudulo numeros sequor editionis Ritschelianae *prioris*, in Amphitruone,

cura meost error animo: Dum servi mei perplacet mihi consilium, Dum rursum haud placet' e. q. s. Sic enim, non, ut Goetzius ('animo, Dum' e. q. s.), distinguo. Nec aliter, ut modo vidi, Ribbeckius (Descriptio nomm. phil. Doctt. in univ. Lips. ind. a die I. mens. nov. a. MDCCCLXXXII usque ad diem ult. mens. oct. a. LXXXIII creatt., p. 29). Sic vertimus: 'Die Weile gefällt mir sehr der Plan meines Sklaven, die Weile wieder nicht'.

Tertium[1]) locum eundemque ultimum[2]) apud Afranium (v. 372 R.) legimus: 'Dum me morigeram, dum morosam praebeo, Deinde' e. q. s. . Vertimus: 'Die Weile zeige ich mich gefällig, die Weile grob'.

Ostendunt hi loci satis perspicue, ni fallor, 'dum' particulae vim adverbialem et *temporalem* et *demonstrativam*, ut totam hanc quaestionem pro re iudicata[3]) habere possimus. Laudanda tamen sunt in fine haec Prisciani verba (Keil. Grammatici Lat. IV, p. 503): 'Dum quae pars orationis est? Adverbium temporale quomodo hic. est autem etiam coniunctio causalis' e. q. s..

B.

De 'dum' adverbio demonstrativo cum aliis adverbiis coniuncto.

Cum sit 'dum' particula adverbium temporale demonstrativum, non est, quod addi adverbiis aliis miremur. Haec enim notione temporis impertit et vi demonstrativa ab aliis sententiae verbis

---

Asinaria, Aulularia, Curculione, Epidico, Mercatore, Poenulo, Sticho, Trinummo, Truculento *secundae*, in Captivis et Rudente Fleckeisenianos. In Casina et Cistellaria notatione vulgata usus sum.

1) Hos versus (Plaut. Truc. 38) quamvis corruptos omnino non adnumeravi: 'Dum huc dum illuc rete or impedit Piscis usque adeo dolium foras eduxit'. Ceterum usus 'dum' particulae videtur idem esse quem nunc tractamus. Vis quoque particulae in locutione 'sine me dum' sub C. tractanda hic commemorari potest.

2) Duos locos Catullianos unumque Plautinum, qui ab his quae laudavi paulo distant, in capite II. adferam.

3) Quae quidem de hoc usu nuper exposuit Woelfflinus (Archiv f. Lat. Lexicographie e. q. s. II 2, p. 234) ea, hac parte iam confecta, legi. Confirmari autem sententiam meam doctissimi viri testimonio, valde gaudeo.

distinguit. Conferri quidem possunt, quantum ad *temporis* notionem attinet, illud — 'weilen' ('bisweilen') et Anglicum — 'while' ('meanwhile'). Modo sane 'dum' encliticum est, modo per se legitur, spectat tamen semper ad adverbium, quae res titulum probat quem ascripsimus.

Coniungitur autem a priscis scriptoribus cum vocibus hisce: 'etiam', 'inter', 'non', ('haud', 'nec', 'neque',) 'nunc', 'primum', 'qui', 'vix'. Additur coniunctioni 'ne' et interiectioni 'eho', quam infra sub C. tractabo.

Post adverbium 'etiam', cuius vim adverbialem confirmat atque supplet, 'dum' paene semper apud priscos scriptores per se legitur, semel tantum encliticum ('etiámdum'). Exstat quidem nonnisi in enuntiationibus negativis. Exempla ita distinguo, ut ea in quibus particula enclitica est primum afferam, deinde in quibus ipsa ictum habet, tertium in quibus eliditur.

Generis prioris reperitur hic locus: Ter. Heaut. 229 'Hoc égo mali non pridem inveni: neque etiamdum scit pater.'

Bis ictum habet: Plaut. Mil. 992 'Díssimulabo, hos quasi non videam neque esse hic etiam dum sciam'; Truc. 321 'Trístis exit — haud convenit etiam hic dum Phronesium' — 'haud' Camerarius, 'ad' libri, 'hicdum' L Z, 'hicbū' B, 'hic bum' C D. Sane 'dum' propter ictum magis eminet, ut alterum locum exempli causa sic vertamus: 'Traurig tritt er heraus — er hat b i s j e t z t (die Z e i t ü b e r) die Phronesium nicht getroffen' —.

His autem locis eliditur[1]): Plaut. Pseud. 957 'Nám nihil etiam dum harpagavit praeter cyathum et cantharum'; 1028 'Metuo aútem ne erus redeat etiam dum a foro'; Rud. 1381 'Ní dolo malo instipulatus sis nive etiam dum [hau] siem Quinque et viginti annos natus'; Ter. Eun. 570 'forte fortuna domi Erat quídam eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaïdi, Neque ís deductus etiam dum

1) Semper hic 'etiam dúm' scribendum esse facile intelligi potest.

ad eam' — 'etiam dum' in A legitur, in B C D E F P 'etiam tum'. Ego cum Umpfenbachio et Dziatzkone 'etiam dum' scripsi, Bentleius 'etiam tum'. Bene rem enucleavit Handius (Turs. II, p. 323): 'Quare ita est praecipiendum: 'etiam dum' significare 'adhuc', 'ad hoc tempus', sed differre ab 'etiam num' et 'etiam tum' eo, quod in his temporis certum iudicium additur, quemadmodum 'annoch' ab 'jetzt noch' et 'damals noch' distinguitur. Sic igitur vertendum est: 'und er war annoch nicht zu ihr geführt worden.' —[1]).

Sequitur 'dum' praeterea adverbium 'inter'. Hic vis eius temporalis praevalet. Reddimus 'unter — weilen', vel 'zuweilen', vel 'bisweilen'.

Exempla usus enclitici, ut supra, primum afferro: Plaut. Amph. 864 'Ego sum ille Amphitruo..... Qui intérdum fio Juppiter, quando lubet'; Merc. 54 'Summo háec clamore; interdum mussans conloqui Abnuere'; Most. 495 'Intérdum inepte stultus es, [Theopropides']; Cat. De agr. cult. praef. 1 'Est interdum praestare mercaturis rem quaerere, nisi tam periculosum siet', e. q. s. — exempla ex scriptoribus pedestribus petita, quae omnia praeter hoc unum ad tempora spectent Ciceroniana, ad usum encliticum referre malui —; Ter. Eun. 368 'Cibúm nonnumquam capiet cum ea, interdum propter dormiet'; Afran. v. 374 R. 'Deinde áliquid dedita opera controvorsiae Concínno, laedo interdum contumeliis'; Varr. De ling. Lat. V, 78 'Sunt etiam animalia in aqua quae in terram interdum exeant', e. q. s.; Rer. rust. II, 1, 17 'qui potissimum quaeque pecudum pascatur, habenda ratio, ... sed quod hordeum et faba interdum sit quibusdam obiciendum' e. q. s.; 7, 12 'eosque, cum stent cum matribus, interdum tractandum', e. q. s.; 7, 13 'cum iam ad manus accedere consuerint, interdum imponere iis puerum' e. q. s.; Lucr. I, 293 'trudunt res ante ruuntque Impetibus crebris, interdum vertice torto Corripiunt' e. q. s.; III, 1024 'Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis'; VI, 640 'Nunc ratio quae sit, per fauces montis ut Aetnae Exspirent ignes interdum turbine tanto, Expediam'; Sall. Cat. 10, 6 'Haec primo paulatim crescere interdum vindicari'; 23, 3 'et minari (coepit) interdum ferro'; Iug. 94, 2 'interdum timidos insolentia itineris levare manu'; Hist. III, 67, 16 Dietsch. 'illu-

---

1) Locorum certis rationibus dispositorum summarium infra in tabula dabo.

debant simul, nefandum in modum perverso volnere et interdum lacerum corpus semianimum omittentes.'

His locis 'dum' ictum habet, per se igitur legendum est: Plaut. Capt. 550 'Ét illic isti qui sputatur morbus inter dum venit'; Epid. 393 'Profécto deliramus inter dum senes'; Ter. Ad. 216 'Pecúniam in loco neclegere maximum inter dumst lucrum: hui' e. q. s.; Acc. v. 260 R..... 'splendet sáepe, ast idem nimbis inter dum nigret'; Lucr. I, 273 'Inter dum (venti vis) rapido percurrens turbine campos arboribus magnis sternit', e. q. s.; 1046 'Inter dum resilire tamen coguntur et una' e. q. s.; II, 23 — ceteros ex Lucretio locos, qui 'inter dúm' in philosophicis praesertim exemplis introducendis ponit, attulisse satis habui —; 57; 282; 704; 804; 1012; III, 61; 174; 381; 465; IV, 571; 818; 1112; 1218; 1278; V, 213; 464; 588; 608; 1086; 1099; 1126; VI, 111; 137; 300; 426; 431; 555; 603; 830; 912; 975.

Exempla in quibus particula eliditur in ea divisi quae hanc encliticum praebent, quaeque liberam atque solutam.

Illorum exstat unum: Plaut. Capt. 560 'Quín suom ipse interdum ignorat nomen neque scit qui siet'.

Haec reperiuntur quattuor: Ter. Hec. 307 'Non máxumas, quae maxumae sunt inter dum irae, iniurias Faciunt'; Turp. v. 15 R. 'Tumére occepi et interdum oscitarier'; Lucr. IV, 1130 'Inter dum in palam atque alideusia Ciaque vertunt'; VI, 116 'Fit quoque enim inter dum ut non tam concurrere nubes Frontibus adversis possint' e. q. s..

Respondet denique 'interdum' adverbiis 'modo' et 'saepe', ut ita responsio non prorsus accurata 'bald (oft) . . . bisweilen' efficiatur. Conferendum est illud 'dum . . . dum' supra tractatum: Sall. Iug. 42, 1 'nobilitas noxia atque eo perculsa modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, ..., Gracchorum actionibus obviam ierat'; 55, 8 'Eo tempore Iugurtha . . . . . modo se Metello, interdum Mario ostendere'; 62, 9 'Denique multis diebus per dubitationem consumptis, cum modo taedio rerum advorsarum omnia bello potiora duceret, interdum reputaret quam' e. q. s.;

74, 1 'modo advorsum hostes, interdum in solitudines pergere'; 27, 1 'eidem illi ministri regis interpellando ac saepe gratia interdum iurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant'; 72, 2 'saepe contra decus regium noctu requiescere, interdum somno experrectus adreptis armis tumultum facere'.

Subicitur 'dum' adverbio 'non' ('haud', 'nec', 'neque'). 'Post nec quoque vel post non vel haud posita (dum) adverbium est temporale, ut necdum nondum hauddum' (Prisc.: Keil. Gramm. Lat. III, p. 503). Vertimus: 'annoch nicht' vel 'noch nicht'. Quaeritur, quid inter 'nondum' et similem locutionem 'adhuc non' intersit.

Constat quidem, aliquid quantum ad temporis notionem attinet ita negari posse, ut aut ante punctum quoddam aut per spatium temporis id non accidisse significemus. Primo loco terminum proponimus ad quem, altero spatium per quod id de quo agitur non factum est. Illic 'adhuc non' Latine plerumque usurpatur, hic 'nondum'. Ceterum locutiones nonnumquam inter se confunduntur.

Usum encliticum exhibent haec exempla: Plaut. Mil. 787 'Laútam vis an nondum quae sit lauta? sic consucidam'; Plaut. frg. 56 (Winter.) — 'virgo sum, nondum didici nupta verba dicere'; frg. 269 (Winter., cf. p. 16) 'Ubi eúm hietare nondum mi in mentem venit'; Ter. Phor. 147 'Pater éius rediit an non? nondum. quid? senem Quoad exspectatis vestrum?'; Turp. v. 170 R. 'Ego nóndum etiam hice vilicabar, Faedria'; Pomp. v. 158 R. 'Núnqui hic restitat, qui nondum labeas lerarit mihi.'; Varr. Men. ΓΕΡΟΝΤΟΔΙΔ. XVII, (6)[1] (Bücheler.); Rer. Rust. I, 2, 2; II, 2, 2; 11, 2; III, 9, 13; 16, 30; Sall. Cat. 18, 8; Iug. 31, 20.

Non dúm: Ter. And. 659 'Non dúm scis. scio equidem illam ducturum esse te'; Phor. 445 'Abi, víse redieritne iam an non dum domum'; 492 'Non dúm mihi credis. hariolare. sin fidem do?'; Lucr. I, 580 'Quae non dum clueant ullo temptata periclo'.

Exempla in quibus elisio fit ut supra disposui.

---

1) Spectant numeri sic ( ) inclusi ad editionem Riesianam.

'Nóndum': Plaut. Pers. 174 'Cucus si ín ludum iret, potuisset fieri ut probe, litteras sciret, Quom meum íngenium fans atque infans tu nondum etiam edidicisti'; Ter. Ad. 467 'filiam eius virginem Vitiávit. hem. mane: nondum audisti, Demea' e. q. s.; And. 340 'Laétus est nescio quid: nihil est: nondum haec rescivit mala'; Hec. 192 'Quid égerint inter se nondum etiam scio'; Lucil. 1172 L. 'nondum etiam, qui haec omnia habebit'.

Legitur 'non' in thesi: Plaut. Rud. 1201 'Irét. non dum egressum esse eum, id miror, tamen'; Truc. 205 'Iam hic ádfuturum aiunt eum: non dum advenisse miror'; Ter. And. 201 'Quid, hoc íntellextin? an non dum etiam ne hoc quidem?'; 807 'Utinam. án non dum etiam? haud auspicato huc me appuli'; Hec. 745 'Mané: non dum etiam dixi id quod volui. hic nunc habet uxorem'.

Semel Ritschelius 'hau dúm' scripsit pro tradito 'nondum': Plaut. Pers. 137 'Sicút istic leno hau dum sex mensis Megaribus Huc est quom commigravit'.

Nécdum: Lucr. V, 953 'Necdum res igni scibant tractare neque uti Pellibus'.

Nécdum in elisione: Plaut. Pseud. 730 'Pósse opinor me dare hominem tibi malum et doctum, modo Qui ád patrem advenit Carysto, necdum exit ex aedibus'; Rud. 210 'Néc loci gnara sum nécdum hic [umquám] fui'; Catull. LXIV, 55 'Necdum etiam sese quae visit visere credit'.

Néquedum: Plaut. Curc. 57 'At illást pudica nequedum cubitat cum viris'; Pseud. 624 'argento haec dies Praéstitutast quoad referret nobis, nequedum rettulit'.

Néquedum in elisione: Plaut. Mil. 642 'Néquedum exarui ex amoenis rebus et voluptariis'.

Sequitur 'dum' adverbium 'vix', quam quidem locutionem, cum illi 'nondum' similis sit, hic commemoravi. Vertimus 'kaum erst'.

Unus exstat locus Terentianus: Phorm. 524 'Vix dúm dimidium dixeram intellexerat'.

Accedit 'dum' vi confirmativa et demonstrativa adverbio 'nunc': Plaut. Curc. 243 'quin tu aliquot dies Perdúra, dum intestina exputescunt tibi: Nunc dúm salsura sat bonast' e. q. s. — hac graviore distinctione (:) post 'tibi' opus est —.

Similiter additur 'dum' adverbio 'primum'.

Primúmdum: Plaut. Bacch. 259 'Primúmdum infitias ire coepit filio'; Most. 120 'Primúmdum paréntes fabri liberúm sunt'; Truc. 31 'Primúmdum merces annua: is primus bolust'; 384 'Quid id ést? primumdum quom tu's aucta liberis' e. q. s. (cf. Schoell. Anal. Plaut., p. 8 sq.).

'Primum dúm': Plaut. Mil. 298 'Prímum dum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris'.

Primúmdum in elisione: Plaut. Most. 400 'Ómnium primumdum haec aedes iam face occlusae sient'; Rud. 32 (prol.) 'Primúmdum huic esse nomen urbi Diphilus Cyrenas esse voluit' e. q. s..

Habet *prima* adverbii syllaba ictum: Plaut. Trin. 98 'Exspécto si quid dicas. primum dum omnium Male dictitatur' e. q. s..

Coniungitur praeterea 'dum' cum adverbio 'qui' interrogativo, ut fiat 'quidum'. Haec locutio a ceteris adverbiis interrogativis velut 'cur' et 'quare' hoc differt, quod interrogationem novam nec antea tamquam praenuntiatam nunquam inducit, semper autem ad enuntiationem, quae interrogandi causam affert, spectat proxime antecedentem. Accedit, ut nonnisi *per se* occurrat, nec tam *actionem* respiciat quam *condicionem* aliquam vel *qualitatem*. Quod ita indicare solemus, ut 'quidum' 'wie nun?' reddamus.

Quídum: Plaut. Amph. 1032 'Pródigum te fuisse oportet olim in adulescentia. Quídum? quia senecta aetate a me nunc mendicas

malum'; Bacch. 466 'Nám illum meum malum promptare malim, quam peculium. Quídum? quia malum si promptet, in dies faciat minus' — 'bonos alioqui versiculos sed hic mire frigidos' ut suppositicios notavit Guyetus, quem secutus est Ritschelius, ego ut fortasse omnino Plautinos laudandos esse putavi —; Epid. 299 'Átque id non decem occupatum tibi erit argentum dies. Quídum? Quia enim mulierem alius illam adulescens deperit' e. q. s.; Men. 161 'edepol ne tu, ut ego opinor, esses agitator probus. Quídum? ne te uxor sequatur respectas identidem'; Mil. 325 'Tám mihi sunt manus inquinatae. quidum? quia ludo luto'; Most. 450 'Quid vós, insanin estis? quidum? sic, quia Foris ambulatis'; 1079 'Nóstrum ego hunc vicinum opinor esse hominem audacem et malum. Quídum? quia negat novisse vos' e. q. s.; 1107 'huc si quis intercedat tertius, pereat fame'. Quídum? quia nil quaesti sit ei: ita mali hercle ambo sumus'; Pseud. 336 'Éx tua re non est, ut ego emoriar. quidum? sic: quia Sí ego emortuos sim, Athenis te sit nemo nequior'; 338 'Éx tua rest, ut ego emoriar. quidum? id ego dicam tibi' e. q. s.; 1124 'Heús tu quid vis? hic homo meus est. quidum? quia praeda haec meast'; Rud. 1097 'Ímmo hercle insignite inique. quidum? quia si ostendero, Continuo hunc novisse dicent scilicet'; 1116 'Túm pol tu pro oratione nec vir nec mulier mihi's. Quídum? quia enim neque loquens es neque tacens umquam bonus'.

Qui dúm: Plaut. Asin. 620 'Ere, sálve: sed num fumus est haec mulier quam amplexare? Qui dúm? quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo rogavi'; Trin. 166 'et celata omnia Paene ílle ignavos funditus pessum dedit. Qui dúm? quia ruri dum ego' e. q. s.; Ter. Eun. 273 'Num quíd nam hic quod nolis vides? te credo: at numquid aliut? Qui dúm? quia tristis es' e. q. s..

Quídum in elisione: Plaut. Most. 733 'Nunc nóbis simítu omnia haéc excidérunt. Quídum? ita hic óppido occídimus omnés, Simo'.

Notandum est, verba 'quidum? quia' e. q. s. quasi formulam iterum atque iterum usurpari. Et introducitur quidem responsio verbo 'quia' decies, verbis 'quia enim' bis, 'sic, quia' bis, verbo 'ita' semel. Bis particula causalis omnino deest.

Restat 'dum' coniunctioni 'ne' additum, id est 'ne dum'[1]), quod hoc potissimum loco tractare malui.

Exempla exstant apud priscos scriptores duo tantum: Ter. Heaut. 454 'satrapes si siet Amátor, numquam sufferre eius sumptus queat: Ne dúm tu possis' — sic vertimus, ut vis particulae manifesta fiat: 'Geschweige dass du, einmal (angenommen, dass es möglich wäre), es thun könntest' u. s. w. —; Lucr. I, 653 'Amplius hoc fieri nil est quod posse rearis Talibus in causis, ne dum variantia rerum Tanta queat densis rarisque ex ignibus esse'.

His omnibus exemplis diligenter consideratis, 'dum' adverbii vis temporalis et demonstrativa clare, ni fallor, apparebit.

Nunc autem locorum in quibus 'dum' particula cum adverbiis coniuncta exstat apponam[2])

---

1) Cf. Priscian. (Keil. l. c., p. 503): 'est tamen (dum) etiam pro coniunctione repletiva, ut . . . et, 'nedum illi corruptis moribus victoriae temperarent'.'

2) Cf. pag. seq. .

Conspectum.

	Etiámdum	Etiam dúm	Intérdum	Modo--- intérdum	Saepe--- intérdum	Inter dúm	Nóndum	Non dúm	Hau dúm	Nécdum	Néquedum	Vix dúm	Nunc dúm	Primúmdum	Primum dúm	Quídum	Qui dúm	Ne dúm		∠ dum	dúm
Plautus		5	4			2	3	3	1	2	3		1	6	2	14	2		48	32	16
Cato			1																1	1	
Terentius	1	1	1			2	4	6				1					1	1	18	6	12
Turpilius						1	1												2	1	1
Accius						1													1		1
Lucilius							1												1	1	
Afranius			1																1	1	
Pomponius							1												1	1	
Varro			4				6												10	10	
Lucretius			3			36		1		1								1	42	4	38
Catullus										1									1	1	
Sallustius			4	4	2		2												12	12	
	1	6	18	4	2	42	18	10	1	4	3	1	1	6	2	14	3	2	138	70	68

C.

De ‘dum’ adverbio demonstrativo cum imperativis coniuncto.

Hae duae capitis partes, B. et C., usum particulae encliticum qui dicitur totum complectuntur. Sed in illa imperativis suffixa vis temporalis plerumque evanuit. Restat vis demonstrativa cum tenuissima temporis notione, ut hic ‘dum’ satis bene illo ‘Mal’ reddere possimus. Vertimus ergo ‘dicdum’ ‘sag’ Mal’ vel ‘sag’ doch’. Ceterum ipsi imperativi praeter vulgarem morem non usurpantur.

Ne tamen in hac re veteres neglegere videamur, laudandi sunt tres grammaticorum loci huc pertinentes: “‘Age’ adverbium optantis est, accipit autem ‘dum’ et fit una pars: est ergo ‘dum’ vel nativa particula, vel pro ‘cito’ aut ‘modo’” (Anecdota Helv. ed. Hagen., p. L (Gramm. Lat. Suppl.))[1]; ‘haec enim syllaba, id est dum, solet expletiva inveniri, ut quidum agedum adesdum’ (Prisc. Keil. l. c. III, p. 479); “‘Dum’, ‘gentium’, ‘ad id locorum’, cuiusmodi adverbia esse dicemus? Ornativa, siquidem adposita orationem inluminant, ablata nihil sensui subtrahunt, ut cum dicimus mane dum, ubi gentium’ (Maxim. Victor.: Keil. l. c. VI, p. 202).

Coniungitur quidem ‘dum’ cum his imperativis: ‘abi’, ‘accede’, ‘accipe’, ‘ades’, ‘adscribe’, ‘age’, ‘aspice’, ‘cedo’, ‘circumspice’, ‘dice’ (‘dic’), ‘evoca’, ‘excute’, ‘fac’, ‘facito’, ‘iube’, ‘itera’, ‘mane’, ‘memora’, ‘pulta’, ‘respice’, ‘sine’, ‘surge’, ‘tace’, ‘tange’.

Ábi dum: Ter. Heaut. 249 ‘Fáctum a nobis stulte est, abi dum tu, Dromo, illis obviam’.

Accédedum: Plaut. Rud. 1332 ‘Dabitúr talentum. accededum huc: Venus haec volo adroget te’.

Áccipe dum: Plaut. Men. 386 ‘Áccipe dum hoc: iam scibo, utrum haec me mage amet an marsuppium‘.

1) Cf. Placid., p. 6: ed. Deuerling. .

Adésdum: Ter. And. 29 'Adésdum: paucis te volo. dictum puta'.

Adscríbedum: Plaut. Bacch. 745 'Lóquere porro. adscribedum etiam. loquere, quid scribam, modo'.

Ágedum: Plaut. Bacch. 832 'Tres únos passus. vel decem. agedum tu Artamo' e. q. s.: Cist. III, 1, 7 'Áccipe hanc cistellam, Halisca; agedum pulta illas foris.; Most. 282 'Ágedum contempla aurum et pallam, satin haec me deceat, Scapha'; Stich. 723 'Ágedum, Stiche: uter demutassit, poculo multabitur'; Trin. 883 'Fáciam ita ut vis. agedum, nomen primum memora tuom mihi'.

Age dúm: Plaut. Most. 849 'Íbo intro igitur. mane sis videam, ne canis. age dum vide'; Ter. Heaut. 310 'Age dúm vicissim, Syre, dic quae illast altera'?; Lucr. III, 962 'Aequo animoque, age dum, dignis concede: necessest'; Catull. LXVII, 7 'Dic, agedum nobis, quare mutata feraris'. e. q. s..

Ágedum in elisione: Plaut. Amph. 783 'Aút pateram hic inesse oportet. agedum, exolve cistulam'; Aul. 646 'Níve adeo abstulisse vellem me. agedum, excutedum pallium'; Merc. 112 . . . . 'Erus út minor opera tua servetur. agedum Acanthio'; 149 'Cédo tuam mihi dexteram: agedum Acanthio. em, dabitur. tene'; Mil. 346 'Ágedum ergo face. volo scire, utrum egon id quod vidi viderim' e. q. s.; Rud. 785 'Tangam hércle vero. agedum ergo, accede huc modo'; 1177 'Agedum, hunc, si potes, fer intro vidulum, Trachalio'; Trin. 369 'Ágedum eloquere, quid dare illi nunc vis? nil quicquam, pater'; Ter. Eun. 694 'Quem sécum adduxit Parmeno. agedum hoc mihi expedi'.

'Dum' elisum ponitur in arsi: Plaut. Amph. 1081 'vae mihi. Amphítruo: ita animus mihi etiam nunc abest. age dum expedi'; Asin. 746 'Age dum ístum ostende quem conscripsti syngraphum'; Capt. 570 . . . . 'Quí convincas. sed quaeso hercle age dum aspice ad me, em, dic modo'; Cas. V, 2, 17 'Age dum adi húnc. obsecró, ubi tua nóva nupta est'?; Pers. 763 'Tóxile mi, ego cur sine te sum? cur tu autem sine me's? age dum ergo'; Poen. 1049 'Age dum húc ostende. est par probe, quam habeo domi.'; Rud. 720 . . . . 'Súnt, age dum ergo, tange utramvis digitulo minumo modo'; Ter. Hec. 315 'tace, Trepidári sentio et cursari rursum prorsum. age

dum ad fores', e. q. s.; Phor. 784 'Age dum, út soles, Nausistrata, fac illa ut placetur nobis'; Catull. LXIII, 78 "'Age dum' inquit 'age ferox, i, fac ut hunc furor agitet" e. q. s..

Aspícedum: Plaut. Most. 1105 'Súrge; ne nugare. aspicedum contra me. aspexi. vides'?.

Cédodum in elisione: Plaut. Men. 265 'Ego istúc cavebo. cedodum huc mihi marsuppium'; Ter. Phorm. 329 'Cédodum, enumquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam'?

'Dum' elisum ponitur in arsi; Plaut. Trin. 968 'Ádulescens, cedo dum istuc aurum mihi. quod ego dem aurum tibi'? e. q. s..

Circumspícedum: Plaut. Mil. 955 'Círcumspicedum, ne quis nostro hic auceps sermoni siet'; Most. 472 'Elóquere, quid ita? circumspicedum, numquis est', e. q. s..

Circumspice dúm: Plaut. Trin. 146 'Circúmspice dum te, nequis adsit arbiter'.

'Dice dúm': Plaut. Rud. 1156 'Énsiculust aureolus primum literatus. dice dum' e. q. s..

Dícdum: Ter. Hec. 803 . . . . Áccedebam: adulescens, dicdum quaeso, tun es Myconius'?

Dícdum in elisione: Ter. Eun. 707 'Dícdum hoc rursum, Chaerea tuam vestem detraxit tibi'?

Evocádum in elisione: Plaut. Most. 679 'Manufésto teneor. evocadum aliquem ocius'.

Excútedum: Plaut. Aul. 646 . . . . 'Níve adeo abstulisse vellem me. agedum, excutedum pallium'.

Fácdum in elisione: Plaut. Pers. 609 'Fácdum huc * * * * taceas: curabo, ut voles'; Rud. 1023 'Quo árgumento socius non sum et fur sum, facdum ex te sciam'.

Facitódum: Plaut. Cas. III, 1, 9 'Sed facitódum memoria per volgus quod cantant, colas — verba 'memoria per volgus' male in codicibus servata ('merui aper vorsus' vel sim.) e Gepperti coniectura descripsi —.

Dum elisum ponitur in arsi: Ter. Heaut. 550 'Fac érgo. at heus tu, facito dum eadem haec memineris', e. q. s..

Semel post 'itera' ponitur dum elisum in arsi: Pac. v. 202 R. 'Age astá: mane audi: ítera dum eadem istaéc mihi'!

Iúbedum in elisione: Plaut. Pers. 605 'Iúbedum ea hoc accedat ad me. i sane ac morem illi gere'.

Iube dúm: Plaut. Rud. 786 'Iube dúm recedere istos ambo illuc modo'.

Mánedum: Plaut. Epid. 204 'Mánedum! sine respirem, quaeso'. e. q. s. — libri 'mane', 'manedum' Brixius —; Ter. Hec. 844 'Mánedum sodes': e. q. s..

Mane dúm: Plaut. Asin. 585 'Mane dúm. quid est?; 877 'Níhil ecastor est quod facere mavelim. mane dum. quid est'?; Bacch. 794 'Mane dúm parumper: iam exeo ad te, Chrysale'; Cas. II, 6, 32 'Sed mane dum: num ista aut populna sors aut abiegna est tua'?.

Mánedum in elisione: Plaut. Truc. 115 'Heus mánedum, Astaphium, priusquam abis'!; Ter. Heaut. 890..... 'Íta rem esse. ain tu? quin tu ausculta. manedum, hoc prius scire expeto'.

Memorádum: Plaut. Poen. 866 'Málus es? malus sum. male mihist. memoradum, num esse aliter decet'?.

Memora dúm: Plaut. Capt. 983 'Quíd erat ei nomen? si vera dicis, memora dum mihi'; Poen. 1063 'Patris átque matris memini. memora dum mihi'.

Pulta dúm: Plaut. Most. 674 'Cupio hércle inspicere hasce aedis, pulta dum foris'.

Respícedum: Plaut. Mil. 362 'Respícedum ad laevam': e. q. s..

Sine (me) dum: Plaut. Truc. 628 'Séd verum sine me dum petere, síquidem belligerandumst tecum'.

Sine (me) dum (eliditur adverbium): Plaut. Men. 378 'Sét sine me dum hanc compellare. heus mulier, tibi dico. quid est'?; Most. 1143 'Síne me dum istuc iudicare. surge: ego isti adsedero'.

Súrgedum in elisione: Plaut. Most. 1102 'Súrgedum hinc: consulerest igitur quiddam quod tecum volo'.

Tace dúm: Plaut. Men. 348 'Tace dúm parumper: nam concrepuit ostium'; unum locum (Truc. 726), ubi 'tácedum' legitur e Schoellii coniectura, non adnumeravi.

Tange dúm: Plaut. Rud. 784 '.....De ará capillo iam deripiam. tange dum'; 796 'Equidem éas te invito iam ambas rapiam. tange dum'.

Praeterea 'dum' cum interiectione 'eho' coniunctum, id est 'ehodum', quod omnino haud aliter atque 'agedum' usurpatur, hic laudare volo.

Éhodum: Ter. And. 324 'Spónsam hic tuam amat. ne iste haud mecum sentit. ehodum dic mihi': e. q. s.; 616 'Oh. vísus sum. ehodum bone vir, quid ais? e. q. s.; Eun. 360 'Périi, numquam etiam me illam vidisse! ehodum dic mihi': e. q. s..

Eho dúm in elisione: Ter. And. 184 *Si.* Dave. *Da.* Hém quid est? *Si.* Eho dum ad me. *Da.* Quid hic volt? *Si.* Quid aïs? *Da.* Qua de re? *Si.* Rogas?

Huc spectat quod in Labbaei[1]) Glossario legimus p. 53: 'δεῦρο ὧδε, Eudum'. - Sane hic 'ehodum' scribendum est[2]).

Restat, ut locorum addam

---

1) Cyrilli, Philoxeni, Aliorumque Veterum Glossaria Latino-Graeca et Graeco-Latina, A Carolo Labbaeo Collecta. Lutet. Paris. MDCLXXIX.

2) Continent omnino glossaria de 'dum' particula nonnisi vilia atque tritissima.

Conspectum.

	Ábi dum	Accédedum	Accipe dúm	Adésdum	Adscríbedum	Ágedum	Age dúm	Aspícedum	Cédodum	Cedo dúm	Circumspícedum	Circumspice dúm	
Plautus		1	1		1	13	8	1	1	1	2	1	30
Pacuvius													
Terentius	1			1		1	3		1				7
Lucretius							1						1
Catullus							2						2
	1	1	1	1	1	14	14	1	2	1	2	1	40

	Dice dúm	Dícdum	Evocádum	Excítedum	Fácdum	Facitódum	Facito dúm	Itera dúm	Júbedum	Jube dúm	Mánedum	Mane dúm	
Plautus	1		1	1	2	1			1	1	2	4	14
Pacuvius								1					1
Terentius		2					1				2		5
Lucretius													
Catullus													
	1	2	1	1	2	1	1	1	1	1	4	4	20

	Memorádum	Memora dúm	Pulta dúm	Respícedum	Sine — dúm	Súrgedum	Tace dúm	Tange dúm	Éhodum	Eho dúm					∠ dum	dúm	
Plautus	1	2	1	1	3	1	1	2			12	30	14	56	29	27	
Pacuvius													1	1		1	
Terentius									3	1	4	7	5	16	11	5	
Lucretius												1		1		1	
Catullus												2		2		2	
	1	2	1	1	3	1	1	2	3	1	16	40	20	76	40	36	

D.

De 'dum' adverbio conduplicato, sive de adverbio 'dudum'.

In etymologia quidem huius adverbii mire erravit P. Langenus (Beitr. z. Krit. und Erklär. d. Plautus, p. 33 sqq.). Quamquam enim eius significationem (Brix. ad Trin. v. 430) omnino recte tenet, his Prisciani (Keil. l. c. III, p. 479) verbis se addicit: 'Dudum quae pars orationis est? Adverbium est temporis....... et putant quidam dudum quasi diu dum dici': e. q. s.. Sed *diuturnitatis* notionem 'dudum' re vera nullam habet, cum ad breve temporis spatium paene semper spectet.

Itaque Boppium sequi malo, qui primus ex duplicato 'dum' ortum esse 'dudum' perspexit. Accedit igitur ad earum locutionem numerum, sicut 'iamiam', 'ubi ubi', 'ut ut', quas composuit Woelfflinus (l. c., p. 456 sqq.). Et hodie homines verbum aliquod, ut in animum eius qui audit magis penetret, bis pronuntiare passim videmus.

Quaerat quispiam, cur 'dūdum' primam syllabam productam habeat, non ut 'dum' correptam[1]). Huius rei causae sunt, ut opinor, duae. Primum cupido tamquam clandestina erat syllabam in pronuntiando protrahendi, ut sic littera perdita 'm' compensaretur. Praeterea acceperat syllaba accentum, qui saepe ad producendum multum valet. Quae quidem argumenta omnino viris doctis notissima sunt. Etymologia ita constituta, restat, ut adverbii significationem ad hanc quadrare ostendam.

Vertimus autem hanc duplicatam formam 'eben eben', in qua locutione ut in 'dudum' nulla temporis praeteriti notio *re vera* inest. Verba igitur 'dudum veni' sic reddenda sunt: 'ich bin (eben) eben[2]) gekommen', manatque, ni fallor, ex verbo 'veni' adverbii temporis exacti notiuncula.

1) Cf. Kühner. Ausführl. Gram. d. Lat. Spr. I, p. 71.

2) Sane dudum non prorsus idem significat quam 'modo modo', desideratur tamen locutio Theodisca, quae illud *accurate* reddat. Maxime commemoranda est *incerta* (cf. exempla infra laudanda) eius natura, quam ex duplicato 'dum', adverbio *plane indefinito* ('die Weile'), nacta est.

Quam quidem significationem, id est 'eben', ex qua illa 'vorhin' et 'schon' oriunda sunt, ut pristinam primum tractabo.

Exstat haec cum indicativo perfecti his locis: Plaut. Amph. 479 'Nunc de Alcumena dudum quod dixi minus, Hodie illa pariet filios geminos duos'; 620 'Sed quid ais? num obdormivisti dudum'?[1]); 767; Cist. I, 2, 44; Men. 388; Mil. 808; 1025; 1028; 1046; 1131; Pers. 722; Poen. 556; Rud. 1104; Stich. 498; 676; Ter. And. 591; Hec. 451.

Praeterea occurrunt cum hoc tempore 'dudum ut', 'ut dudum', 'dudum....quom', 'quom........dudum'. Vertimus 'eben als', 'als eben' e. q. s..

Exempla sunt: Plaut. Cist. IV, 2, 40 'Nam dudum ut adcucurrimus ad Alcesimarchum, vitam Ne suam interimeret, tum puto' e. q. s.; Aul. 705 'Nam ut dudum hinc abii, multo illo adveni prior'; Capt. 478; Men. 491; 392 'Scilicet qui dudum tecum venit, quom pallam mihi Detulisti, quam ab uxore tua surrupuisti'; 701. 'Nimis stulte dudum feci, quom marsuppium Messenioni cum argento concredidi'; Bacch. 961 'Quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis, Ibi vix me exsolvi' — spectat 'dudum', ut videtur, ad 'quom' —.

Coniungitur 'dudum' sensu 'eben' cum indicativo plusquamperfecti his locis: Plaut. Men. 57 (prol.) 'Epidamniensis ille, quem dudum dixeram', e. q. s.; Merc. 468 'is se ad portum deixerat Ire dudum'; Pers. 576.

Semel legimus 'dudum.... ut': Plaut. Bacch. 957 'Nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium Et de hospite et de auro et de lembo, ibi signum ex arce iam abstuli'.

Deinde plus eminet temporis exacti notio, significante adverbio 'vorhin'.

Quod interdum distinctius indicatur, opposito 'nunc' vel 'nunc demum'.

1) Omnes locos ad verbum describere praetermisi.

Praebent indicativum imperfecti loci quattuor: Plaut. Men. 740 'Haut mihi negabas dudum surrupuisse te: Nunc eandem ante oculos attines? non te pudet'?; 936; Most. 257; Rud. 1123 'Nunc demum istuc dicis, quoniam ius meum esse intelligis: Dudum dimidiam petebas partem'.

Legitur indicativus perfecti: Plaut. Amph. 894 'Quando ego quod feci factum Amphitruoni obfuit Atque illi dudum meus amor negotium Insonti exhibuit, nunc autem insonti mihi' e. q. s.; Epid. 458; Men. 935; Mil. 1059; Poen. 769; Stich. 762; Ter. And. 653; Eun. 683; Heaut. 983; Phor. 786.

Semel perfectum (imperfectum?) supplendum est: Ter. Eun. 731 'vah, quanto nunc formonsior Videre mihi quam dudum'.

Indicativum legimus plusquamperfecti: Plaut. Aul. 684 'nunc te obsecro Resecroque, mater, quod dudum obsecraveram'; Ter. Hec. 648.

Semel occurrit participium perfecti passivi: Ter. And. 824 'nunc cum maxume abs te postulo atque oro, Chremes, Ut beneficium verbis initum dudum nunc re comprobes'.

Saepius tamen *omittuntur* 'nunc' vel 'nunc demum'.

Traditus est indicativus imperfecti: Plaut. Amph. 387 'Ego sum Sosia ille, quem tu dudum esse aiebas mihi'; 661 'nam quid ille huc revortitur, Qui dudum properare se aibat'?; Asin. 315; Poen. 748. Rud. 1080.

Occurrit indicativus perfecti: Plaut. Amph. 384 'peccaveram: Nam Amphitruonis socium dudum me esse volui dicere'; Aul. 457 'Coctum ego huc, non vapulatum, dudum conductus fui'; Bacch. 1051; Cist IV, 1, 2; 1, 9; Men. 311; 672; 678; 1138; Merc. 758; 922; Pers. 321; Poen. 416; Pseud. 489; 1089; 1217; Rud. 1066; 1079; Trin. 1137; Ter. Ad. 953; And. 582; Heaut. 595; Hec. 784; Phor. 838.

Quater perfectum supplendum est: Plaut. Epid. 661 'minoris multo facio quam dudum senes'; Truc. 803; Ter. Heaut. 760; Phor. 459.

Semel invenitur cum perfecto 'dudum......quom': Plaut. Merc. 753 'Haecine tuast amica, quam dudum mihi Te amare dixtei quom obsonabas'?

Indicativus exstat plusquamperfecti: Plaut. Amph. 916 'Equidem ioco illa dixeram dudum tibi'; 919; Epid. 389 'Velut egomet dudum fili causa coeperam animi excruciare', e. q. s. — 'velut egomet dudum' Fuhrmannus Nov. ann. vol. 101 (a. 1870), p. 687; 'vel quasi egomet qui dum' libri, nisi quod 'ego met' J —; Men. 426; Merc. 760; Ter. Heaut. 786; Phor. 914.

Semel legimus coniunctivum[1]) perfecti: Ter. Phor. 537 'itane hunc patiemur, Geta, Fieri miserum, qui me dudum, ut dixti, adiuverit comiter?'

Semel invenitur 'dudum' cum infinitivo perfecti per orationem obliquam: Plaut. Amph. 963 'Derides, qui scis haec dudum me dixisse per iocum'.

Denique adverbium 'bereits' significat vel 'schon', notione temporis *exacti* plerumque eminente.

Traditus est indicativus perfecti praesentis: Plaut. Mil. 407 'Dudum edepol planumst hoc quidem'.

Legitur indicativus perfecti: Plaut. Bacch. 577 'Tu dudum, puere, cum illac usque isti semul'; 1018 'Eadem istaec verba dudum dixi illi omnia'; Pseud. 1201; Ter. And. 840.

Semel coniungitur adverbium notione 'bereits' cum coniunctivo perfecti: Plaut. Amph. 683 'Sic solutas atque adpellas, quasi dudum non videris'.

Nonnullis locis spectat ad nomen aliquod vel adverbium temporis. Reddimus 'schon': Plaut. Amph. 602 'Nam ut dudum ante lucem a portu me praemisisti domum', e. q. s.; 699 'Nam dudum ante lucem et istunc et te vidi'; Capt. 624; Poen. 650; Truc. 645.

---

1) Sic exemplum a ceteris distinguere volui, non quo modum ex *adverbio* profectum esse crediderim.

Duae sunt formulae, ut bene dixit Handius, in quibus significatio *longi*[1]) temporis manifestius efferri videtur. Hae sunt 'hau dudum' et 'quam dudum'.

Quorum 'hau dudum' semel tantum exstat: Plaut. Pers. 498 'Nam ex Persia adlatae mihi sunt istaec. quando? hau dudum'.

Saepius invenitur 'quam dudum': Plaut. Stich. 310 'vide, quam dudum hic asto et pulto'; 528 'quid tu? quam dudum in portum venis?'; Trin. 608; Ter. And. 850; Eun. 697.

Adverbium denique 'perdudum' hic commemorare volui. Semel traditum est: Plaut. Stich. 575 'Vidi edepol hominem haud perdudum'.

Restat vox 'iam dudum' — nam unam notionem verba efficiunt —, in qua 'dudum' haud aliter atque in illis 'hau dudum', 'quam dudum', 'perdudum' usurpatur. Vertimus 'schon lange'. De quo bene dixit Donatus (ad Ter. And. III, 4, 3): 'Adverbia temporis aut certa sunt ut *hodie*, *cras*, aut incerta, ut *dudum*, *nuper*. Itaque incertis certum additur tempus ut: *iam dudum*, *nunc nuper*'.

'Dudum' adverbii cum naturam ipsam incertam tum locutionis 'iam dudum' differentiam luculenter declarat hoc exemplum: Plaut. Amph. 691 'ALC. An te auspicium conmoratumst an tempestas continet, Qui non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras? AMPH. Dudum? quam dudum istuc factumst? ALC. Temptas: iam dudum, modo. AMPH. Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis: iam dudum, modo? ALC. Quid enim censes? te ut deludam contra, lusorem meum, Qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui hinc abieris?' Hoc loco primum 'dudum' vim 'eben' habet. Sed in hac tam ambigua voce recte dubitat Amphitruo, utrum uxor 'eben', an 'vorhin', an 'bereits' significet. Rogat igitur '*quam* dudum'? Cui illa credens verba sibi dari respondet *discrepantia* atque *absona*: 'iam dudum, modo'. Cf. Langen. l. c., p. 33: 'Darüber ärgert sich nun

1) Quod autem adverbium hic *longum* tempus significat, causa est, ut rem iterum commemorem, *ambigua* eius natura. Cf. Priscian. (Keil. l. c., III, p. 81): 'alia (adverbia) communia diversorum temporum, ut olim, dudum, quondam'. Ceterum per se quoque exsistit, compositis cum 'dudum' vocibus 'hau' et 'quam', notio temporis *exacti*.

hinwieder Alkmene, indem sie glaubt, sie werde von ihrem Manne zum Besten gehalten und erwidert deshalb mit unzweideutigem Widerspruch iam dudum, modo, schon längst, vor Kurzem.' Quibus verbis vis locutionis 'iam dudum' satis distincte videtur declarari.

Quantum ad 'iam dudum' ipsum attinet, cum notiones simplices 'schon lange', 'schon lange Zeit', semper praebeat, attulisse locos satis habebo.

Legitur quidem cum indicativo praesentis historici: Plaut. Amph. 618 'quis te prohibuit? Sosia ille, quem iam dudum dico, is qui me contudit'; Asin. 741; Bacch. 109; 890; Cas. II, 6, 16; III, 2, 10; IV, 3, 6; Cist. II, 1, 31; Merc. 138; 556; 618; Mil. 580; 1301; 1398; Poen. (prol.) 12; 1161; Pseud. 1215; Rud. 1030; Stich. 344; Trin. 812; 1000; Enn. v. 34 R.; Caec. v. 13 R.; Ter. Ad. 401; 720; Eun. 448 (bis); 743; 816; 917; Heaut. 409; 882; Hec. 336; Phor. 289; 471; Turp. v. 24 R.; Acc. v. 682 R.; Afran. v. 179 R.; Varr. Rer. rust. I, LVI.

Exstat cum indicativo imperfecti: Plaut. Asin. 486 'Ei nunciam ad erum quo vocas, iam dudum quo volebas'; Men. 419; Ter. Heaut. 758.

Cum indicativo perfecti invenitur: Plaut. Amph. 491 'Quamquam, ut iam dudum dixi, resciscet tamen Amphitruo rem omnem'; 624; Asin. 890; Bacch. 1054; Epid. 408; Merc. 953; Poen. 318; Pseud. 1148; Trin. 923; 1010; Ter. And. 228; 948; Hec. 722.

Ter perfectum supplendum est: Plaut. Mil. 1429 'Philocomasium iam profectast? dic mihi. Iam dudum'. e. q. s.; Ter. Ad. 517; Eun. 734.

Invenitur cum coniunctivo plusquamperfecti: Plaut. Stich. 743 'nam ita me Venus amoena amet, Ut ego huc iam dudum simitu exissem vobiscum foras, Nisi' e. q. s.; Ter. Heaut. 230.

Semel exstat cum infinitivo praesentis per orationem obliquam pro perfecto praesente: Ter. Heaut. 171 'iam dudum domi Praesto apud me esse aiunt' e. q. s..

Semel denique cum infinitivo perfecti: Afran. v. 17 R. ‘Immo iam dudum occubuisse, degulasse oportuit’.

Nunc locorum in quibus ‘dudum’ occurrit appono[1])

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

‘Dum’ igitur adverbium temporale demonstrativum sub variis formis animo contemplati iam ad ‘dum’ *coniunctionem* pergamus.

1) Cf. pag. seq. .

Conspectum, significante adverbio

'Eben'

	Indic. Perf.					Ind. Plusquamperf.		
	Simp.	Dudum ut	Ut dudum	Dudum --- quom	Quom dudum	Simp.	Dudum ut	
Plautus	15	1	3	2	1	3 + 1[1]	1	27
Terentius	2							2
	17	1	3	2	1	4	1	29

'Vorhin' oppositis 'nunc' vel 'nunc demum'

	Ind. Imperf.	Ind. Perf.		Ind. Plusqu.	Part. Perf. Pass.	
		Simpl.	Suppl.			
Plautus	3, (nunc demum) 1	6		1		11
Terentius		4	1	1	1	7
	4	10	1	2	1	18

'Vorhin' omissis 'nunc' vel 'nunc demum'

	Ind. Imperf.	Ind. Perf.			Ind. Plusquam.	Coniunct. Perf.	Inf. Perf.	
		Simp.	Suppl.	Dudum --- quom				
Plautus	5	19	2	1	5		1	33
Terentius		5	2		2	1		10
	5	24	4	1	7	1	1	43

'Bereits'

	Ind. Perf. Praes.	Ind. Perf.	Spect. adv. ad locut. temp.	Coniunct. Perf.		Haud dudum	Quam dudum		Vide Supra				Dud. indef.[1]	Summa
Plautus	1	3	5	1	10	1	3 + 1[1]	15	27	11	33	86	1	87
Terentius		1			1		2	3	2	7	10	22		22
	1	4	5	1	11	1	6	18	29	18	43	108	1	109

nec non eorum in quibus exstat **'iam dudum'**

	Ind. Praes. Hist.	Ind. Imperf.	Ind. Perf.		Coniunct. Plusquam.	Inf. Praes.	Inf. Perf.		Vide supra			Summa
			Simp.	Suppl.								
Plautus	21	2	10	1 + 2[1]	1			37	87	124	Perdudum 1	125
Ennius	1							1		1		1
Caecilius	1							1		1		1
Terentius	12	1	3	2	1	1		20	22	42		42
Turpilius	1							1		1		1
Accius	1							1		1		1
Afranius	1						1	2		2		2
Varro	1							1		1		1
	39	3	13	5	2	1	1	64	109	173	1	174

[1]) Ex loco Plautino (Amph. v. 690 sqq.) per se allato.

Cap. II.

Quomodo ortus sit 'dum' particulae usus coniunctionalis.

Significatione 'dum' particulae adverbiali enucleata, quasi speculam tandem ascendimus, unde prospicere possimus usum coniunctionalem. Sed illud imprimis tenendum est, *subiunctas* quidem enuntiationes e *principalibus* esse ortas, qua de re ut de progressu naturali atque in nostris animis insito viri docti omnes consentiunt. 'Als Grundlage aller Untersuchungen über Satzlehre darf man wie einen rocher de bronze die Behauptung hinstellen, dafs der einfache Satz älter sei als der zusammengesetzte. Es hat also eine Periode der indogermanischen Sprache gegeben, in welcher sie nur einfache, unabhängige Sätze kannte. Als Über-, Unter- und Nebenordnung im Satzgefüge ist aus dem älteren Zustand der einfachen Parataxis entstanden' (Delbrück. Synt. Forsch. I, p. 12). 'In der Sprache, wie sie uns selbst schon in den Homerischen Gedichten vorliegt, treten die beiden Formen Parataxis und Hypotaxis als charakteristisch hervor. Es ist aber klar, dafs die zweite Fügung historisch sich überall aus der ersteren entwickelt hat und davon noch viele Spuren aufweist' (Curtius, Erläuterungen³, p. 191).[1])

Sequitur, ut *coniunctionum* origo in adverbiis sit quaerenda, qua de re haud dubitanter dixit L. Lange (Der hom. Gebrauch der Part. *εἰ* I. [Abhandl. der philol.-hist. Classe d. k. Sächs. Ges. d. Wissensch. vol. IV, fasc. IV], p. 313): 'Denn darüber dürften alle historischen Grammatiker einverstanden sein, dafs es ursprüngliche Conjunctionen gar nicht giebt, dafs vielmehr alle Wörter, die wir Conjunctionen

1) Cf. Jolly. Ein Cap. vergl. Syntax, p. 62.

nennen, vorher Adverbien oder Partikeln waren, und zu Conjunctionen erst dadurch bei der Entwickelung der Hypotaxis aus der Parataxis wurden, dafs sie die Andeutung des Verhältnisses enthielten, in welchem der untergeordnete Satz zu seinem Hauptsatze steht.'

Quaestionem igitur e *parataxeos* condicione ingressi inde enuntiationum et particulae fata persequamur. Prius tamen 'dum' *adverbii* significatio in memoriam revocanda est, qualis in loco eminet Plautino iam allato: 'dum placet, dum haud placet'.

Cum vero manifestum sit, in talibus locis propter *sententiarum oppositionem* numquam posse oriri hypotaxin, ad illius 'amat: sapit' (Plaut. Amph. 995) exemplar enuntiationum quae inter se *conexum quendam logicum* habent aliquid par ponamus velut: 'pavet, tremit'. His verbis nullum est vinculum *nisi intellectuale.* Quorum quidem utrique praeterea addamus 'dum' adverbium demonstrativum, ut sint 'dum pavet, dum tremit', sic vertentes 'die Weile zaget er, die Weile zittert er'. Est etiam parataxeos condicio, sed illa in eo est, ut fiat, quam viri docti *correlationem* (Curtius l. c., p. 192; Probst. Beitr. z. Lat. Gramm. II, p. 138 sqq.) appellant.

Quantum quidem ad *formam* attinet, nihil interest inter correlationem et parataxin. Sin *sensum* respicias, illud 'dum tremit' maioris[1]) esse momenti percipis, quod nunc voce indicari potest. Sed crescente vi particulae posterioris — progressionem dico correlationis in universum — decrescebat vis prioris. Obtinuit illa significationem *demonstrativam* induit haec *relativam.* Et quanto magis haec condicio vigescebat, tanto magis inter *correlationem* et *parataxin* apparebat diversitas. Sic igitur exemplum nostrum nunc reddendum est: 'die Weile er zaget, **die Weile** zittert er'. Nimirum huius mutationis *causae*[2]) in ipsis verbis quaerendae sunt, cum particulae correlationem exhibeant tantum, non efficiant.

---

1) Spero, viros doctos haec verba mea non esse sinistre accepturos. Sane *vis ipsa* enuntiationum non alia est in correlatione atque in parataxi, habebatque illud ('dum) tremit' semper vim maiorem, quam *clarius* in correlatione apparere affirmo.

2) Cf. Delbrück. l. c., p. 98.

Correlationis autem, repetita 'dum' particula quae fit, exempla in lingua Latina tria conservata sunt, quorum primum apud Plautum exstat in Truculento (v. 232); 'dum habeat, dum amet'. Pro secundo 'dum' libri cum A 'tum' habent, sed similis usus, 'dum, tum', apud Plautum, ut scrutando certior sum factus, nullus[1]) exstat. Itaque recte Lambinus 'dum' scripsit, quem secuti sunt viri docti (cf. Schoell. ad locum). Quod autem modus coniunctivus est, id ad rem quam nunc tractamus nihil facit, nam vis particulae *temporalis*[2]) hic quoque est in medio, ut sic reddere possimus: 'die Weile habe er (das Nöthige), **die Weile** liebe er'. Alterum locum ex Catullo (LXII, v. 45; cf. Quint. IX, 316) laudo: 'virgo dum intacta manet, dum cara suis est'. Vertimus: 'die Weile das Mädchen unberührt bleibt, **die Weile** ist sie den ihrigen lieb'. Notat Quintilianus, locutionem 'dum, dum' antiquam esse, quam coniunctione *relativa* 'quoad' et locutione adverbiali *demonstrativa* 'usque eo' interpretatur. Ad hunc locum spectat tertium exemplum (v. 56): 'virgo dum intacta manet, dum inculta senescit'. Vertimus: 'die Weile das Mädchen unberührt bleibt, **die Weile** altert sie unumworben'.

In his exemplis particula prior notionem, ut facile intellegimus, relativam, posterior demonstrativam habet. Transitionem illam quae ex sensu pronominali demonstrativo in sensum relativum fit, quam viri docti imprimis Windischius (Untersuch. über d. Urspr. d. Relativpron. i. d. Indogerm. Sprachen; Curt. Stud. II, p. 201 sqq.) vel tractaverunt vel notaverunt, hic in priori particula factam esse statim intellegimus.

Sed ad perfectum *hypotaxeos*, vel subordinationis, statum nondum pervenimus, cum in hac correlationis condicione posterior enuntiatio priorem *absolute*[3]) non superemineat. Quae tamen condicio, ut nimium fusa atque prolixa erat, una cum sermonis Latini progressu necessario evanuit. Properante enim ad secundam *enuntiationem* animo eius qui loquebatur, *particula* altera omissa est. Prior[4]) quidem

1) Occurrit omnino semel apud priscos scriptores Latinos: Ter. Phor. 549.

2) Latet hic vis etiam condicionalis, de qua proximo in capite omnino disseram.

3) Cf. Curtius. l. c., p. 192.

4) De exemplis omnino loquor quae laudavi; scilicet enuntiatio illa relativa demonstrativam sequi quoque potest.

enuntiatio iam subiuncta suam particulam conservabat sensu relativo. Sic ergo factum est, ut 'dum' particula paulatim *coniunctio* evaderet. Exemplum supra positum nunc ita transmutare possumus: 'dum pavet, tremit'.

Huius ex significatione adverbiali in significationem coniunctionalem mutationis viam ac rationem recte, ni fallor, exposui. Nam sic progressionem habemus concinnam, quippe quia necessario illa fusior locutio 'dum, dum' simpliciori antecessit. Cuius rei quasi testis est Quintilianus, qui locutionem 'dum, dum' *antiquam* appellat. In iis quae laudavimus exemplis usus ea causa videtur esse servatus, ut arto utrumque sententiae membrum vinculo contineretur.

Nec progressionis analogiae nobis desunt. In his enim linguae Graecae particulis *correlatio*, quam parataxis praecessit, ipsa induxit hypotaxin. Et notandum est, eas coniunctiones quae sensum prae se ferunt relativum omnes ex radicibus olim demonstrativis ortas esse. 'Den angegebenen Konjunctionen entsprechen im Hauptsatze entweder ausdrücklich gesetzte oder zu ergänzende Demonstrativadverbien, als: *ὅτε . . . τότε*; *ἕως . . . τέως* (poet.); *ἦμος . . . τῆμος* (poet.); *ὄφρα . . . τόφρα* (poet.); *ἡνίκα . . . τηνίκα* (poet.) *τηνικαῦτα*; *ὡς . . . ὥς*', e. q. s. (Kühner. Ausführl. Gramm. d. Gr. Spr.² II, p. 949).

Harum omnium correlationum illa *ὡς . . . ὥς* nostrae 'dum, dum' simillima est. Laudat Kühnerus tres locos Homericos: *Ξ*. 294 '*ὡς δ' ἴδεν, ὥς μιν ἔρως πυκινὰς φρένας ἀμφικάλυψεν*'; *T*. 15 '*αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ὡς εἶδ', ὥς μιν μᾶλλον ἔδυ χόλος*', *κ. τ. α.*; *Υ*. 423 '*αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ὡς εἶδ', ὣς ἀνέπαλτο, καὶ εἰχόμενος ἔπος ηὔδα*'. Locutionem imitatur Theocritus: II, 82 '*χὠς ἴδον, ὣς ἐμάνην ὥς μευ περι θυμὸς ἰάφθη*' — Fritschius '*ὡς ἐμάνην*' —; III, 42. Theocritum imitatus est praeter Bionem (I, 40) et Moschum (II, 74) Vergilius (Ecl. VIII, 41): 'Ut vidi, ut perii ut me malus abstulit error'.

Nec mihi dubium est, quin hic usus *omnino* primitivus[1]) habendus sit. Quam sententiam Kühnerus quoque probare videtur.

1) Cf. Schmalz. Handb. d. klass. Alterthumswiss., p. 357: 'das mit deiktischem *ce* aus *si* entstandene *sic* korrespondiert mit *si* erst seit Horaz z. B. ep. 1, 7, 69 *sic ignovisse putato, si cenas hodie mecum* (ist aber vielleicht die ursprüngliche Konstruktion = ''so du heute mit mir speisest, so darfst du glauben'')'.

'Dass die parataktische Satzverbindung die ursprüngliche sei versteht sich theils von selbst, theils geht es auch deutlich daraus hervor, dass alle Sprachen für das Demonstrativ- und Relativpronomen sowie für die demonstrativen und relativen Adverbien und Konjunktionen nur Eine Form besassen, nämlich die demonstrative, indem man das Demonstrativ zweimal setzte, einmal mit hinweisender und dann mit zurückweisender Kraft' (l. c. II, p. 778).

Denique ne linguas recentiores quae dicuntur neglegere videar, proferenda sunt ex iis pauca correlationis exempla, in quibus nostra 'dum' particulae interpretatio 'die Weile' occurrit. Peropportune se nobis hic locus imprimis offert Anglosaxonicus: 'Cirus . . . . *þâ hwîle þe* Sabîne and Rômâne wunnon on þam westdaele, *þâ hwîle* wann he' (Mätzner, Engl. Gram. III, 2, p. 410), i. e. 'die Weile dass Sabiner und Römer im Westen kämpften, die Weile kämpfte er', vel 'dum, dum'. Similiter: '*Dô* künec Jôsaphat in vride was, *dô* bûwete er stete und feste bûrge' (Vernaleken, Deutsche Synt. II, p. 372) et 'Denn so lange B zurück drucket, so lange weichet er nicht aus seiner Stelle' (ibid., p. 377).

Cap. III.

De 'dum' particulae cum themate temporis praesentis usu coniunctionali.

Cum thema temporis praesentis actionem exprimat *continuam* ('die Handlung des Praesensstammes ist die dauernde': Curt. l. c., p. 181), non est, quod 'dum' coniunctionem, quae re vera *spatium* temporis significat, cum hoc themate saepissime usurpari miremur. Nam notiones ambo, et verbi et coniunctionis, quasi expletivae sibi respondent. Immo vero 'dum' particulam primum cum hoc themate solo esse usurpatam, in fine huius opusculi demonstrare conabor. Interim rem ipsam et primum quidem usum indicativi praesentis aggrediamur.

A.

De 'dum' coniunctione cum indicativo puri praesentis usurpata, cui enuntiatio principalis *perfecte* congruat.

In hoc titulo quem necessitate coacti fusius ascripsimus, *purum* diximus praesens, ut a praesente quod grammatici *historicum* vocant et ab illo quod *futuri* sensum quodam modo praebet ad tempus distingueretur. Ceterum de his infra dicam.

Nec quemquam fallere potest, hunc usum ad correlationis exempla modo laudata proxime accedere. Nam ambo enuntiationes *idem temporis spatium* complent. Coniunctionem ergo plurimis locis 'so lange als' vertere possumus, quamquam nonnullis verbo 'während' utendum est.

Perfecta haec actionum congruentia temporalis maxime sane in exemplis illis eminet quae sententiam generalem communemque exprimunt. Conexus enim enuntiationum hic absolutus est. Vertimus igitur coniunctionem paene semper ‘so lange als’.

Exstant hi loci: Plaut. Bacch. 818 ‘quem di diligunt, Adulescens moritur, dum valet, sentit, sapit’; Capt. 84 ‘Quasi quom caletur cocleae in oculto latent, Suo sibi suco vivont, ros si non cadit: Item parasiti rebus prolatis latent In oculto miseri, victitant suco suo, Dum ruri rurant homines quos ligurriant’; 233 ‘Quod sibi volunt, dum id impetrant, Boni sunt’; Mil. 762 ‘Sed procellunt sese in mensam dimidiati, dum appetunt’; Pers. 113 ‘Dum manest, omnis esse mortalis decet’; Titius frg. 1 (Meyer. Orat. Rom. Fragm., p. 204) ‘Dum eunt, nulla est in angiportu amphora, quam non impleant’; Ter. And. 266 ‘Dum in dubiost animus, paulo momento huc vel illuc impellitur’; Eun. 934 ‘Quae dum foris sunt, nihil videtur mundius’; Heaut. 240 ‘nosti mores mulierum: Dum moliuntur, dum conantur, annus est’; Varr. De ling. lat. V, 105 ‘quod stat aut agitatur, corpus; ubi agitatur, locus; dum agitatur, tempus’; Rer. rust. I, 19, 2 ‘quo sequendum nobis in singulis fundis, dum sumus novicii, triplici regula, superioris domini instituto et vicinorum et experientia quadam’; 65 (‘mustum) non promendum, dum fervet’; Lucr. III, 1082 ‘Sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur Cetera’; IV, 358 ‘dum simulacra feruntur, Cogit hebescere eum (ictum) crebris offensibus aër’; 559 ‘Et conturbari vocem (necessest), dum transvolat auras’; V, 764 ‘oppressum solem super ipsa tenere (cur terra queat), Menstrua dum rigidas coni perlabitur undas’; IV, 1167 ‘ut (corpus) est, per membra sacer dum diditur ignis’; Catull. LXIV, 145 ‘Quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci, Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt’; Sall. Hist. inc. lib. rel. 103 (Dietsch.) ‘imbecilla est fortitudo, dum pendet’.

Corroboratur omnino haud raro notio quae in ‘dum’ coniunctione inest adverbiis expletivis.

Pertinet ad exempla quae modo laudavi hic locus: Plaut. Truc. 322 ‘Piscis ego credo, qui usque dum vivont, lavant, Minus diu lavare quam haec lavat Phronesium’.

Praeterea saepius 'dum' coniunctioni respondent in enuntiatione principali adverbia temporalia.

Hic proferenda sunt exempla duo: Plaut. Men. 194 'Meretrix tantisper blanditur, dum illut quod rapiat videt'; Truc. 104 'Oenus eorum aliqui ioculum amicae usque oggerit, dum illi harpagant' — scripsi cum Schoellio pro verbis, 'aliquis oculum' et 'agant' quae codices praebent 'aliqui ioculum' et 'harpagant' —.

De adverbiis illis quae coniunctionem corroborant et de his quae ei respondent, allatis exemplis omnis generis, uberius in ultimo capite quaeram.

Docet quidem coniunctionum historia, significationem earum omnino e conexu logico pendere qui enuntiationi subiunctae cum principali intercedit. Itaque saepe fit, ut coniunctio aliqua significationem re vera exhibeat a vi sua *grammatica* quasi abhorrentem. Coniunctionibus autem *temporalibus* magnam ad hanc rem inesse δύναμιν Aristoteliam, inter omnes constare necessest.

Cuius rei testimonia in hoc opusculo nonnulla proferam, quorum in numero hi loci reponendi sunt, praebente coniunctione vim leviter *condicionalem*[1]): Plaut. Pers. 387 'Dum dos est, nullum vitium vitio vortitur'; Acc. v. 345 R. 'Nam ea [demum] oblectat spes aerumnosum hospitem, Dum illud quod miser est clam esse censet alteros'.

Reliqua exempla, cum ad rem specialem vel factum spectent, perfectam hanc congruentiam temporalem non tam clare prae se ferunt quam generalia illa superiora. Quae tamen congruentia *re vera exstat*, verbo autem, 'während', rarius illo 'so lange als', reddenda est.

Loci sunt: Plaut. Asin. 531 'Ecastor nobis periclum et familiae portenditur, Dum eius exspectamus mortem, ne nos moriamur fame'; Men. 72 (prol.) 'Haec urbs Epidamnus est, dum haec agitur fabula';

---

1) Trahit Theodiscum illud 'wenn' temporalem quoque originem: 'Anfangs wann neben wenn, in neuerer zeit nur wenn für die einfache bedingung, die oft halb temporal erscheint' (Vernaleken. l. c. II, p. 424).

Pseud. 1126 'dum recens est, Dum datat, dum calet, devorari decet'; Enn. Sat. 31 (Vahlen.) 'Ille tristis cibum dum servat, tu ridens voras'; Caecil. v. 147 R. 'Dum eius mortem inhio, egomet inter vivos vivo mortuus'; Ter. Phor. 161 'At non cottidiana cura haec angeret animum,......Dum exspecto quam mox veniat qui adimat'; Titin. v. 29 R. 'Terra istaec est non aqua, ubi tu solitu's argutarier Pedibus, cretam dum compescis'; Lucr. V, 587 'quoscumque (ignes) in terris cernimu', flammae Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum'.

Semel augetur coniunctio adverbio 'tantisper': Plaut. Truc. 11 (prol.) 'Athenas traloco ita ut hoc est proscaenium — Tantisper dum transigimus hanc comoediam'.

Bis adverbio 'nunc': Plaut. Amph. 980 'Volo deludi illum, dum cum hac usuraria Uxore nunc mihi morigero'; Truc. 713 'Nunc dum instat, dum habet, tempus ei rei secundumst' — pro 'iusti iubet' quod habent B C D scripsit Schoellius 'instat' —.

Semel respondet in enuntiatione principali coniunctioni idem adverbium: Ter. Ad. 108 'et tu illum, si esses homo, Sineres nunc facere, dum per aetatem licet'.

Commoditatis causa hunc coniunctivum praesentis per orationem obliquam pro indicativo usurpatum hic laudo: Ter. Heaut. 148 'Decrevi tantisper me minus iniuriae, Chremes, meo gnato facere, dum fiam miser'.

Restant loci duo in quibus propter logicum enuntiationum conexum vis *causalis*, ut supra condicionalis, subauditur. Conferenda est coniunctio illa tritissima 'weil', quae similem ex sensu temporali in sensum causalem cursum[1]) confecit.

---

1) 'Weil, das mit dem pron. (die, alle) adverbial gebraucht wird, gehört auch zu den fügewörtern der zeit. Wîle ist ein subst.: weile, zeit, zeitraum und zeitpunkt; die wîle heisst: so lange, während. Im Anfange der nhd. Zeit finden wir: dieweil, weil; in der Folge ward es immer seltener und ging ins kausale über' (Vernaleken, l. c. II, p. 374; ibid., p. 406). Nec raro Angli coniunctionem 'while' sensu causali usurpant. Quae omnia nobis quasi testimonio sunt, 'dum' particulae interpretationem 'die Weile' bene esse supra adhibitam.

Hi sunt: Plaut. Trin. 1149 'Quid ego ineptus, dum sermonem vereor interrumpere, Solus sto nec, quod conatus sum agere, ago'?; Ter. Ad. 699 'Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias Student facere'[1]).

B.

De 'dum' coniunctionis usu condicionali.

Hunc particulae usum iuxta illum cum indicativo praesentis, quem sub A. exposui, hic tractabo, quia sic, ni fallor, vera vis et coniunctionis et verbi clarius apparebit.

Supra quidem particula notionem condicionalem bis praebuit, ut in hoc exemplo: 'dum dos est, nullum vitium vitio vortitur'. Re vera[2]) autem illa hic 'so lange als' significat, notioque condicionalis, ut rem iterum commemorem, conexui *enuntiationum* logico tribuenda est.

Nec aliter res in hoc usu quem praesertim condicionalem usurpamus se habet. Gignit enim coniunctivus[3]) conexum enuntiationum condicionalem, coniunctio autem, quamquam hanc 'wenn nur' reddere solemus, *plane temporalis*[4]) est.

Cum enim coniunctivus omnino voluntatem eius qui loquitur vel cupidinem vel denique opinionem significet, ad quasdam protases notandas quasi natura nobis commendatur. Inter quas eae sunt quae et voluntatem significant et ad futurum spectant. *Indicativus* nunquam coniunctivi colorem communicare potest, cum rem sub facti (cf. exempla sub A. laudata) forma semper exhibeat.

Iam ad ipsa exempla transeamus et primum quidem ad illa in quibus enuntiatio subiuncta notionem praebet *affirmativam:* Naev.

---

1) Locorum conspectum in fine capitis dabo.

2) Id est, si vis eius *grammatica* sola spectatur.

3) Cf. Probst. l. c., p. 137: 'Demgemäss aber stand jeder Partikel, die mit dem Subjunctiv in Verbindung treten konnte, d. h. allen Partikeln der Weg zur kondizionalen Konjunction offen' e. q. s..

4) Conferendum est illud correlationis exemplum (Plaut. Truc. v. 232): 'dum habeat, dum amet'.

v. 130 R. 'Quid si taceas? dum [te] videat, tam sciat quid scriptum siet'; Plaut. Amph. 996 'Quod omnis homines facere oportet, dum id modo fiat bono'; Bacch. 418 'Dum caveatur, praeter aequom ne quid delinquat, sine'; Capt. 694 'Dum pereas, nihil interduo aiant vivere' — cum Dousa 'interduo' et cum Fleckeiseno 'aiant' scripsi pro librorum 'interdico' et 'dicant' —; Cas. 75 (prol.) 'Id ni fit, mecum pignus, si quis volt dato, In urnam mulsi, Poenus dum iudex siet'; II, 5, 23 'Unus tibi hic dum propitius sit Iuppiter, Tu istos minutos cave deos flocci feceris'; Curc. 37 'Dum ted abstineas nupta vidua virgine Iuventute et pueris liberis, ama quod lubet'; 180 'Dum mi abstineant invidere, sibi quisque habeant, quod suomst'; 429 'maxime (inspicias) Tuo arbitratu, dum auferam abs te id quod peto' — scripsit Goetzius 'aufero'; mihi ut Elsteo[1]) 'auferam' videtur esse praeferendum, quo spectant 'auferam' ex 'adferam' E^3 et 'adferam' B, et poscit sensus coniunctivum, quo vis condicionalis clarius prodeat' —; 460 'quid id refert tua, Dum argentum accipias?'; Epid. 348 'Dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum flocci facio'; 679 'Dum sine me quaeras, quaeras mea causa vel medio in mari' — 'DU............ SQUAERAS' A, 'dum sine me quaeras' BJFZ; deest 'vel' in A, exstat in BJFZ, ego cum Ussingio hoc retineo contra Goetzium qui 'Dummodo sine me' e. q. s. scripsit —; Merc. 84 'Amorem (dico) missum facere me, dum illi obsequar'; 904 'dum istic siet' (bene est); Pers. 146 'Quaeso hercle me quoque etiam vendas, si lubet, Dum saturum vendas'; Rud. 747 'Quid mea refert, haec Athenis nataene an Thebis sient, Dum mihi recte servitutem serviant'?; 1100 'Omnia ego istaec facile patior, dum hic hinc a me sentiat'; Trin. 210 'Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat sciant'; Truc. 736 'Discant, dum mihi commentari liceat'; Pac. v. 228 R. 'Quovis exitio cupio, dum prosim'; Ter. Ad. 224, quasi iam usquam tibi sint viginti minae, Dum huic obsequare'; 313 'Satis mihi id habeam supplici, dum illos ulciscar meo modo'; And. 677 'Ego.... debeo.... Capitis periclum adire, dum prosim tibi'; 825 'dum id efficias quod cupis, Neque modum benignitatis neque quid me ores cogitas'; Inc. inc. fab. v. 159 R. (Fragm. Trag.) 'Pereant amici, dum inimici una intercidant'; Lucil. 659 Lach. 'Cocu non curat caudam insignem esse illam, dum pinguis siet'; Acc. v. 204 R. 'oderint, Dum metuant'; Pomp. v. 152 R.

1) In libello sententiam protulit, qui inscribitur 'De dum particulae usu Plautino', Halis LXXXII (p. 31). Usum adverbialem et correlativum omnino non excussit. Plus valet in arte critica quam in rebus grammaticis.

'Ego rumorem parvi facio, dum sit rumen qui impleam'; Varr. De ling. Lat. IX, 105 'quod sit an non, nihil commovet analogian, dum, sacrifico qui dicat, servet sacrificabo et sic per totam formam'; Lucr. I, 246 'Incolumi remanent res corpore, dum satis acris Vis obeat pro textura cuiusque reperta'; 434 'Augmine vel grandi vel parvo denique, dum sit, Corporis augebit numerum'; II, 659 'Concedamus, ut hic terrarum dictitet orbem Esse deum matrem, dum vera re tamen ipse Religione animum turpi contingere parcat'; V, 1429 'at nos nil laedit veste carere Purpurea atque auro signisque ingentibus apta, Dum plebeia tamen sit'; Catull. LV, 22 'Vel si vis, licet obseres palatum, Dum veri sis particeps amoris' — 'veri' Rossbergius, 'vestri' V, 'nostri' G et ceteri —; CXIV, 5 'Quare concedo sit dives, dum omnia desint. Saltum laudemus, dum bono ipse egeat' — 'bono' Riesius, 'modo' libri —.

Digna sunt quae per se commemorentur haec exempla duo, in quibus, cum desit verbum, vis tamquam adverbialis[1]) subauditur: Plaut. Stich. 426 'STICH. papae, Ducam hodie amicam. EPIGN. vel decem, dum de tuo'; Ter. Phor. 526 'AN. non pudet Vanitatis? DO. minume, dum ob rem'.

Sequitur coniunctionem adverbium 'quidem' ('equidem') his locis: Plaut. Curc. 704 (permitto) 'Dum quidem hercle ita iudices, ne quisquam a me argentum auferat'; Stich. 554 'quattuor sane dato, Dum equidem hercle quod edant addas'; 687 'convenit, Dum quidem hercle, quisquis veniat, veniat cum vino suo'; Trin. 58 'Dum quidem hercle tecum nupta sit, sane velim'.

Corroboratur illa adverbio 'modo' his locis: Plaut. Amph. 644 'Absit, dum modo laude parte domum se Recipiat'; Aul. 239 'Dum modo morata recte veniat, dotatast satis'; Epid. 270 'facere cupio quidvis, dum id fiat modo'; Mil. 254 'Quantum vis prolationis: dum modo hunc prima via Inducamus' e. q. s.; 784 'aequi istuc facio, dum modo Eam des quae sit quaestuosa' — 'facio' FZ, 'faciom dummodo' CD, faciundū modo' B, 'facio, dum modo' Camerarius et Ribbeckius, 'faciam' Ritschelius: sed insinuavit se in textum illud 'm', de quo vide Ribbeckii editionem (vv. 236, 1323) —; Ter. Eun. 320 'Fac tra-

1) Forsitan quispiam recte dixerit, meram hic fieri ellipsin. Locos tamen separatim laudare malui.

das: mea nihil refert, dum potiar modo'; Heaut. 466 'faciat quidlibet: Sumat consumat perdat, decretumst pati, Dum illum modo habeam mecum'; 641 'quidvis satis est, dum vivat modo'; Afran. v. 409 R. 'Heu me miserum! dum modo doleat aliquid, doleat quid lubet'; Lucr. IV, 631 'Nec refert quicquam quo victu corpus alatur, Dum modo quod capias concoctum didere possis'.

Praeterea his adverbiis temporalibus. 'Cottidie': Plaut. Men. 90 'Dum tu illi, quod edit et quod potet, praebeas Suo arbitratu usque adfatim cottidie[1]), Numquam hercle effugiet'. 'Interea': Plaut. Most. 71 'Dum interea sic siet, istuc actutum sino'.

Respondent coniunctioni in enuntiatione principali haec adverbia temporalia. 'Ilico': Plant. Capt. 608 'iube me vinciri ilico, Dum istic itidem vinciatur'. 'Numquam': Plaut. Men. 90 (vide supra). 'Semper': Plaut. Asin. 166 'Semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis'.

Exstat coniunctivus *imperfecti* pro praesenti per temporum consecutionem his locis: Plaut. Capt. 32 (prol.) 'Nil pretio parsit, filio dum parceret'; Sall. Cat. 5, 6 'neque id quibus modis adsequeretur dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat'; 14, 6 'postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret': 40, 4 'nihil tam asperum atque tam difficile esse, quod non cupidissume facturi essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret'.

Bis corroboratur coniunctio adverbio 'modo': Varr. Men. Marcipor XVII (7) Büch. 'Pelian Medeae permisisse, ut se vel vivum degluberet, dum modo redderet puellum'; Rer. rust. III, 17, 9 'tanta ardebat cura, ut architecto permiserit vel ut suam pecuniam consumeret, dum modo perduceret specus' e. q. s. .

In iis quae sequuntur exemplis propter enuntiationis subiunctae naturam vis *temporalis* apparet, dominante hic ut semper conexu

1) Aliter hic 'cottidie' quam infra 'interea' videtur usurpari. Sin acriter spectas, conjunctionis notionem etiam hoc abverbio augeri intelliges.

logico: Plaut. Pers. 494 'faciam ut mei memineris, dum vivas' — alteram Ritschelii coniecturam, omisso librorum verbo 'vitam', secutus sum, nec aliter Elsteus qui Bacch. 1193; Cas. II, 8, 30; Curc. 664; Rud. 499; Truc. 400 confert, ubi solum 'vivas' vel 'vivat' reperitur —; Poen. 20 (prol.) 'Neu (dissignator) sessum ducat, dum histrio in scena siet'; 884 'dum ero insidias paritem, (metuo) ne me perduim'; Pseud. 629 'dum tu sternuas, Res erit soluta' — sic A; cf. ea quae dixit Studemundius Herm. I, p. 308 —; Rud. 499 'Deosque inmortales quaeso, dum vivas, uti omnis tui similis hospites habeas tibi'; Ter. Ad. 681 'Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater'; Heaut. 715 'Tu fors quid me fiat parvi pendis, dum illi consulas'; 1058 'haec dum incipias, gravia sunt, Dumque ignores; ubi cognoris, facilia'; Varr. Rer. rust. II, 4, 14 'haram facere oportet circiter trium pedum altam et latam amplius paulo, ea altitudine abs terra, ne, dum exilire velit praegnas, abortet'.

Corroboratur 'dum' hoc adverbio temporali. 'Semper': Plaut. Curc. 664 'ego dotem dabo. Quid dotis? egone? ut semper dum vivat me alat' — cf. illud 'all' die Weil' —.

Respondent in enuntiatione principali coniunctioni haec adverbia. 'Semper': Ter. Heaut. 951 'Adeo depexum (dabo), ut, dum vivat, meminerit semper mei'. 'Tantisper': Cat. Inc. lib. rel. (Jordan.) 3 'Qui tantisper nulli rei sies, dum nihil agas'. 'Usque': Ter. Phor. 1030 'Habet haec ei quod, dum vivat, usque ad aurem ogganiat'. 'Usque adeo': Ter. Eun. 742 'Usque adeo illius ferre possum ineptiam et magnifica verba, Verba dum sint'.

In his autem exemplis enuntiatio subiuncta notionem prae se fert *negativam*: Plaut. Aul. 491 'Quo lubeat, nubant, dum dos ne fiat comes'; Bacch. 867 'pacisce ergo obsecro quod tibi lubet, Dum ne manufesto hominem opprimat neve enicet'; Capt. 338 'dum ab re nequid ores, faciam'; 682 'Dum ne ob malefacta peream, parvi existumo'; Curc. 36 'Nemo ire quemquam publica prohibet via. Dum ne per fundum saeptum facias semitam . . . ., ama quod lubet'; Mil. 893 'Dum ne scientes quid bonum faciamus, ne formida'; Trin. 979 'Dum ille ne sis quem ego esse nolo, sis mea causa qui lubet'; Cat. De agr. cult. XXXIII, 1

'quam altissimam vineam facito alligatoque recte, dum ne nimium constringas'; L, 2 'et quae crassissima et aquosissima erunt, ea postremum arato, dum ne prius obdurescant'; Ter. And. 902 'Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chremes'; C. I. L. I, 198, 16 'facito ut viros ita legat, ... *d*um ne quem eorum legat' e. q. s.; 30 'Praetor . . . . facito utei quod recte factum esse volet, dum neiquid advorsus h(ance) l(egem) fiat'; 63 'legati adessint, deum nei longius C dies edat' — 'deum' errore pro 'dum' —; 199, 31 'Praeter ea in eo agro niquis possideto nisi de maiore parte Langensium Veituriorum sententia, dum ne alium intromitat nisi Genuatem'; 42 'id uti facere liceat, dum ne ampliorem modum pratorum habeant, quam' e. q. s.; 202, 2, 14 'ei quaestores eo iure ea lege praecones IIII legunto sublegunto, quo iure qua lege quaestores, quei nunc sunt, praecones III legerunt sublegerunt, dum niquem . . . . legant sublegant, quoius in locum' e. q. s.; 204, 2, 34 'ea lex ieis portitoribus capiundeis esto, dum neiquid portori ab ieis capiatur, quei' e. q. s.; Varr. Rer. rust. I, 35, 2 'fossas novas fodere, veteres tergere, vineas arbustumque putare, dum in XV diebus ante et post brumam, ut pleraque, ne facias'.

Corroboratur 'dum' his adverbiis. 'Modo': Lucr. III, 410 'stat cernundi vivata potestas, Dum modo ne totum corrumpas luminis orbem'. 'Quidem': Plaut. Aul. 211 'Dum quidem ne quid perconteris, quod mi haud lubeat proloqui' (proloquar); Merc. 424 'Dum quidem hercle ne minoris vendas quam ego emi, pater' (vendas); Pers. 657 'dum quidem ne nimis diu tuus sim, volo' (tuus esse).

Coniunctioni respondent haec adverbia. 'Porro': Ter. Hec. 634 'Dum ne redducam, turbent porro quam velint'. 'Saepe': Cat. De agr. cult. V, 4 'et id faciat saepe, dum ne lassus fiat'.

In III exemplis coniunctivus legitur *imperfecti* per temporum consecutionem: C. I. L. I, 196, 6 'deque eeis rebus, ubei eorum verba audita essent, utei senatus noster decerneret, dum ne minus senatorbus C adesent quom ea res cosoleretur'; 9 'isque de senatuos sententiad, dum ne minus senatoribus C adessent quom ea res cosoleretur, iousisset'; 17 eadem quam in proximo loco verba leguntur.

C.

De 'dum' coniunctione cum iudicativo puri praesentis sine perfecta actionum congruentia temporali usurpata.

Spectat haec capitis divisio ex parte quidem ad usum quem sub A. tractavimus, cui quasi respondet. Quod enim inter duo genera interest, id vi omnino efficitur actionis *principalis*, quae, dum fit actio enuntiationis subiunctae, ipsa demum exsistit. Ergo, cum enuntiationum tempora non plane consentiant, ut actiones illas sub A. disceptatas *concurrentes*[1]) sic has *coincidentes* haud inepte denominare licet. Coniunctionem hic 'während' vertimus, *nunquam* 'so lange als'.

Exempla sunt: Plaut. Mil. 93 'Itaque hic meretricis, labiis dum ductant eum, Maiorem partem videas valgis saviis'; Ter. Phor. 767 'Nostrapte culpa facimus ut malis expediat esse, Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos'; Varr. Rer. rust. I, 47 'eae dum tenerae sunt, vellendae'; III, 14, 3 'et hunc (cibum), dum serpit, non solum in area reperit, sed etiam' e. q. s.; Lucr. I, 178 'pate fit quodcumque creatur, Dum tempestates adsunt et vivida tellus Tuto res teneras effert in luminis oras'; II, 1125 'Plura sibi adsumunt quam de se corpora mittunt, Dum facile in venas cibus omnis inditur, et dum Non ita sunt late dispersa'; III, 707 'in manando (anima atque animus) dissoluntur, Dum quasi per caulas omnis diduntur in artus'; IV, 92 'dum veniunt, extrinsecu' torte Scinduntur per iter flexum'; 280 'Dum (imago) venit ad nostras acies, protrudit agitque Aëra'; 955 'Haec eadem cibus, in venas dum diditur omnis, Efficit'; Catul. LXIII, 57 'Cupit ipsa popula ad te sibi dirigere aciem, Rabie fera carens dum breve tempus animus est'.

Respondent coniunctioni haec adverbia temporalia. 'Interdum': Lucr. V, 1100 'Et micat interdum flammai fervidus ardor, Mutua

1) De duabus rebus quae *idem* temporis spatium complent dicitur Latine verbum 'concurrere'. Ego pro actionibus *non plane* contemporaneis verbum confinxi 'coincidere'. Quorum ad normam nomina addidi 'concurrentia' et 'coincidentia'. Sane licet propter sermonis in his rebus egestatem aliquos 'terminos technicos' comminisci.

dum inter se rami stirpesque teruntur'. 'Modo': Caec. v. 109 R. 'Modo fit obsequens hilarus comis Communis concordis, dum id quod petit potitur'.

Nonnullis in locis propter enuntiationum inter se relationem vis particulae causalis efficitur. Qua de re in universum supra (sub A.) dixi.

Exempla sunt: Plaut. Pseud. 685 'Certa amittimus, dum incerta petimus'; Trin. 255 'Fit ipse, dum illis comis est, Inops amator'; Lucr. I, 659 'Ardua dum metuunt, amittunt vera viai; III, 68 'Unde homines dum se falso terrore coacti Effugisse volunt longe, longeque remosse, Sanguine civili rem conflant'.

Semel coniunctioni respondet adverbium 'saepius': Varr. Men. Agatho VII(4) Büch. 'et pueri in aedibus saepius pedibus offensant, dum recentes musteos in carnario fluitare suspiciunt'.

Hic usus, cuius exempla Draegerus (Hist. Synt. d. Lat. Spr. II, p. 578) compluria laudat, posterioribus temporibus omnino frequentior fit, sensimque crescens tale denique exemplum praebet: Iustin. XXI, 5, 11 'Inter has tamen dissimulationum artes insimulatus est adfectatae tyrranidis, nec aliter quam dum contemnitur, liberatus est' ('und nur weil man ihn missachtete').

Porro aliis locis propter eandem ac modo dixi causam sententia efficitur (quae ad sensum *concessivum*[1]) accedit.

Hi sunt: Plaut. Curc. 170 'Ipsus se excruciat qui homo quod amat videt nec potitur, dum licet'; Lucr. III, 592 'Quin etiam finis dum vitae vertitur intra, Saepe aliqua tamen e causa labefacta videtur Ire anima' — notandum est alioquin adverbium 'tamen' coniunctioni respondens —.

---

1) 'Die Gleichzeitigkeit der Handlungen schliesst häufig eine adversative Beziehung in sich, welche den Partikeln des Nebensatzes an sich fremd, aber auf solche Art auf sie übertragen ist, dass sie selbst bei der Gegenüberstellung ungleichzeitiger Handlungen gebraucht werden können' (Mätzner, Engl. Gram. [2] II, 2, p. 462). Et usus 'während' coniunctionis concessivus hic laudari potest.

Quoniam igitur omnino enuntiationes plurimum pollent, *coniunctiones*, genus verborum plane fortuitum, partes secundas agunt, affirmare licet, casu solo factum esse, ut 'dum' particula coniunctio etiam *concessiva* non exstiterit nec in grammaticis tironum usui destinatis una cum 'licet', 'quamvis' etc. hodie reperiatur. Habet enim re vera 'cum' coniunctio et vim temporalem et concessivam. Id tamen concedendum est, ita in 'dum' particula eminere vim temporalem continuam, ut ad actiones quae eodem tempore non fiunt coniungendas male sit accommodata. Quae res usum eius multum sine dubio in universum impedivit, quominus uberius amplificaretur.

D.

Usurpatur 'dum' coniuntio cum indicativo praesentis, cuius actio ultra tempus praesens plus minus in futurum producitur. Praesto est perfecta actionum congruentia temporalis.

Haec quidem quae nunc dico praesentia ab illis sub A. et C. tractatis hoc distinguuntur. Fiunt actiones eorum in spatio temporis quod non plane praesens est, sed ex praesente in futurum extendens *utramque* notionem in se continet. Quod enim enuntiatur et ad statum praesentem valet et ad futurum[1]). Notionem sane *absolute* futuram, de qua infra dicendum erit, haec praesentia minime exprimunt. Ceterum hanc enuntiationis subiunctae vim ex eius ad enuntiationem principalem relatione omnino oriri, vix est, quod notem.

Coniunctionem 'während' vertimus, rarius 'so lange als'.

Exempla sunt: Plaut. Bacch. 737 'Mane, dum scribit'; 988 'ades, dum ego has perlego'; Cas. IV, 3, 1 'Age tibicen! dum illam educunt huc novam nuptam foras, Suavi cantu conlecebra omnem hanc plateam hymenaeo'; V, 2, 5 'Operam date, dum mea facta itero'; Curc. 253 'mane sis, dum huic conicio somnum'; 280 'Date viam mihi, noti ignoti, dum ego hic officium meum Facio'; Men. 552 'Sed

1) Omnibus scilicet notum est, cum olim praesens futuri munere esse functum, tum omni aetate actionem ad futurum spectantem saepissime illustrare. Cf. Kühner. Ausführl. Gram. d. Lat. Spr. II, 1, p. 85.

quid ego cesso, dum datur mi occasio tempusque abire'? e. q. s.; 878 'Quid cesso abire ad navem, dum salvo licet'?; Mil. 234 'tace, Dum in regionem astutiarum mearum te induco'; 1404 'Mane, dum narro'; 1409 'Loquere, dum nonnihili factu's'; Most. 99 'Auscultate, argumenta dum dico ad hanc rem' — locum uncis inclusit Ritschelius, ut unum ex illis additamentis 'quibus ipsius Plauti sermo dilatatus est simili loquacitate atque qua prologi non Plautini languent'; Lorenzio videtur esse Plautinus; ego versum ut alicui prisco scriptori omnino tribuendum non omisi —; 688 'huc concessero, Dum mihi senatum consili in cor convoco'; Pers. 500 'tace, dum perlego'; 811 'Delude ut lubet, erus dum hinc abest'; Poen. 41 (prol.) 'Dum ludi fiunt, in popinam pedisequi Inruptionem facite'; 491 'dum exta referuntur, volo Narrare tibi etiam unam pugnam'; Pseud. 40 'Tace, dum tabellas perlego'; Rud. 575 'da mihi vestimenti aliquid aridi, Mea dum arescunt'; 774 (oro, senex) 'Ut illas serves, vim defendas, dum ego erum adduco meum'; 779 'ego, dum abes, ut abeat non sinam'; 854 'Utrumvis opta, dum licet'; 1032 'Mane, dum refero condicionem'; Stich. 696 'Sed amica mea et tua dum comit dumque se exornat, nos volo Ludere inter nos'; Trin. 11 (prol.) 'date vocivas auris, dum eloquor'; Truc. 630 'Sed ego cesso hinc me amoliri, ventre dum salvo licet'?; Cat. Orat. frg. V (Jordan.) 'bene factum a vobis, dum vivitis, non abscedet'; Ter. Ad. 312 'Nihil est quod malim quam illam totam familiam dari mihi obviam Ut ego hanc iram in eos evomam omnem, dum aegritudo haec est recens'; Eun. 595 'Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito, dum lavamur'; Heaut. 345 'Datur, fruare dum licet'; Hec. 725 'Sed vin adesse me una, dum istam convenis'?; Phor. 982 'Adsequere, retine, dum ego huc servos evoco'; Inc. inc. fab. v. 47 R. (Fragm. Trag.) 'Video te, video: vive Ulixes, dum licet'; Lucil. 713 (Lach.) 'Orationem facere compendi potes Salve, dum salvis tergo et tergino licet'; Varr. Rer. rust. I, 1, 3 'neque patiar.....: me, ne dum vivo quidem, necesariis meis quod prosit facere'; II, 5, 1 'tu vero, Murri, veni mi advocatus, dum asses solvo palibus'

Corroboratur 'dum' hoc adverbio.

'Nunc': Plaut. Most. 20 'Nunc dum lubet licetque, pota, perde rem'; 217 'si illum inservibis solum, Dum tibi nunc haec aetatulast, in senecta mala querere' — docet Ladewigius (Philol. XVII, p. 465), vv. 186—207, 208—223 unam atque eandem exponere sententiam,

'nur läſst sich schwer entscheiden, welche Fassung dem Plautus gehöre, denn des Plautus unwürdig ist keine'; cum Lorenzio (quem vide sis ad locum) vv. 186—207 pro genuinis habendos esse puto, nec locum adnumerare (cf. supra Most. 99) recusavi —; Poen. 42 'nunc dum occasiost, Nunc dum scribilitae aestu aestuant, occurrite'.

Respondent coniunctioni haec adverbia vel locutiones adverbiales.

'Aliquantisper': Plaut. Pseud. 572 'Concedere aliquantisper hinc mi intro lubet, Dum concenturio in corde sycophantias'.

'Aliquot dies': Plaut. Poen. 1421 'Dum auctionem facio, hic opus est aliquot ut maneas dies' — vv. 1372—1422 damnant viri docti complures (cf. Goetzii Loewiique edit.); ego exemplum non omisi (cf. supra Most. 99) —.

'Nunc': Ter. And. 597 'potes nunc, dum animus inritatus est'.

'Paulisper': Plaut. Mil. 197 'paulisper tace, Dum ego mihi consilia in animum convoco et dum consulo, Quid agam' e. q. s.; Rud. 1036 'Paulisper remitte restem, dum concedo et consulo'.

'Porro': Plaut. Bacch. 1006 'Ausculta porro, dum hoc quod scriptumst, perlego'.

'Proin' ('etiam atque etiam'): Ter. Eun. 56 'Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita'.

'Tantisper': Ter. Ad. 70 'Malo coactus qui suom officium facit, Dum id rescitum iri credit, tantisper pavet'.

In his exemplis vis subauditur *condicionalis* (cf. quae supra sub A. dixi): Plaut. Merc. 553 'Demum igitur, quom seis iam senex, tum in otium Te conloces, dum potes ames'; Truc. 163 'Dum vivit, hominem noveris: ubi mortuost, quiescat'.

Corroboratur 'dum' semel adverbio 'quidem': Plaut. Asin. 463 'credam fore, dum quidem ipsus in manu habeo'.

In uno exemplo *coniunctivus* exstat imperfecti per attractionem pro indicativo praesentis: Plaut. Mil. 948 'misi parasitum meum, Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret, Qui eius regnum tutarentur, mihi dum fieret otium'.

E.

Usurpatur 'dum' coniunctio cum indicativo eiusdem quam modo excussi praesentis. Adest actionum *coincidentia*.

Quae autem supra de hoc praesentis usu exemplis in universum praemisi, ea huc quoque omnia spectant, nec est, cur iterem. Ceterum coniunctionem *semper* 'während' vertimus.

Exempla sunt: Plaut. Aul. 621 'perscrutabor fanum, si inveniam uspiam Aurum, dum hic est occupatus'; Men. 257 'geminum dum quaeris, gemes' — 'quaeres' A, 'quaeris' Ritschelius —; Merc. 1006 'non utibilist hic locus factis tuis, dum memoramus'; Mil. 595 'Ibo intro, ne, dum absum, ultimus sorti fuam' — 'multi ('multis' B^3) sortito ('sortita' D) suā' ('suā' D) BCD; 'MULTAESORTITAEFIA' (vel 'FIM') in A legere sibi visus est Ritschelius; ultima Loewius probabilius 'FIAT' quam 'FIAM' legi, sed incerta post 'F' omnia adnotavit; sic Ribbeckius, qui ipse 'dubitanter' proposuit 'ultimus sorti fuam', quod mihi magis placet quam Ritschelii 'illis sortitus fuat' —; 1317 'orant te ut eas: ventus operam dum dat, ut velum explicent'; 1334 'ne interveneris, Quaeso, dum resipiscit'; Poen. 914 'At enim nihil est, nisi dum calet, hoc agitur'; Pseud. 921 'dum ille dormit, volo Tu prior occupes'; Rud. 123 'Quin tu in paludem is exsicasque harundinem, Qui pertegamus villam, dum sudumst'; Ter. And. 556 'Em, id te oro ut ante eamus, dum tempus datur, Dum eius lubido occlusast contumeliis'; Eun. 763 'Tu abi atque obsera ostium intus, dum ego hinc transcurro ad forum'; Hec. 746 'Quaere alium tibi firmiorem, dum tibi tempus consulendi est'; Phor. 341 'Dum tibi fit quod placeat, ille ringitur'; 716 'matura, dum libido eadem haec manet'; Varr. Men. ΚΟΣΜΟΤΟΡ. III (8) Büch. 'Detis habenas animae leni, Dum nos ventus flamine sudo Suavem ad patriam perducit'; Catull. XXI, 12 'Quare desine, dum licet pudico'.

Corroboratur 'dum' semel adverbio 'interea': Plaut. Merc. 778 'Darei potest, interea dum illei ponunt'.

Coniunctioni respondent in enuntiatione primaria haec adverbia.

'Iam': Men. 330 'Te ire hercle meliust intro iam atque accumbere, Dum ego haec appono ad Volcani violentiam'.

'Interea': Plaut. Asin. 914 'Atque interea ut decumbamus, suadebo, hi dum litigant'.

'Interim': Plaut. Stich. 764 'interim, Meus oculus, da mihi savium, dum illic bibit'.

'Tum': Ter. Phor. 549 'Tum igitur, dum licet dumque adsum, loquimini mecum, Antipho'.

'Proin': Inc. inc. fab. frg. 29 (Fragm. Trag.) 'Proin demet abs te regimen Argos, dum est potestas consili'.

Locis duobus vim sentimus leviter *causalem*: Varr. Rer. rust. III, 16, 9 'sed, o Merula, Axius noster ne, dum haec audit physica, fatiscat, quod de fructu nihil dixi, nunc cursu lampada tibi trado' — 'physicam (phisicam A) achiscat' PAB, 'physicam addiscat' v.; 'physica fatiscat' Schneiderus —; Sall. Cat. 52, 12 'ne illi sanguinem nostrum largiantur et dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant'.

Semel exstat *coniunctivus* praesentis per orationem obliquam pro indicativo: Plaut. Pseud. 564 'Suspiciost mihi nunc vos suspicarier, Me idcirco haec tanta facinora his promittere, Quo vos oblectem, hanc fabulam dum transigam'.

Semel coniunctivus imperfecti per attractionem: Inc. inc. fab. v. 169 R. (Fragm. Trag.) 'Perque agros dispergit corpus: id ea gratia, Ut dum nati dissupatos artus captaret parens, Ipsa interea effugeret' — coniunctioni respondet adverbium 'interea' —.

F.

De 'dum' coniunctione cum indicativo praesentis historici nec sine perfecta actionum congruentia temporali usurpata.

Hoc quidem praesens post vera praesentia et illa quae notionem tamquam futuram exhibent excutiendum putavi.

More nostro ab actionibus *concurrentibus* incipimus. Coniunctio 'während' reddenda est.

Loci sunt: Plaut. Amph. 114 'Et haec ob eam rem nox facta est longior, Dum cum illa quacum volt voluptatem capit'; Cas. III, 2, 5 'contrivi diem, Dum asto advocatus quoidam cognato meo'; Cist. I, 1, 89 'dum redeo domum, Conspicillo consecutust clanculum me usque ad foreis'; Pers. 448 'dum stas, reditum oportuit'; Trin. 839 'satis partum habeo Quibus aerumnis deluctavi, filio dum divitias quaero'; Ter. Ad. 691 'haec dum dubitas, menses abierunt decem'; 868 'dum studeo illis ut quam plurimum Facerem, contrivi in quaerundo vitam et aetatem meam'; Eun. 341 'Dum haec dicit, abiit hora'; 583 'dum apponatur, virgo in conclavi sedet'; Heaut. 399 'Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere quos cepi leves, Praeter quam' e. q. s.; Hec. 802 'Itaque ineptus hodie dum illi sedeo, ut quisque venerat Accedebam'.

Corroboratur 'dum' adverbio 'usque': Plaut. Men. 105 'Set mi intervallum iam hos dies multos fuit, Domi dum invitus sum usque cum caris meis' — 'domi domitus sum' libri, 'domi dum invitus sum' felicissime Madvigius, 'domi dum dominus' Ritschelius —.

Coniunctioni respondent haec adverbia vel locutiones adverbiales.

'Totum diem': Ter. Hec. 801 'frustra ubi totum desedi diem, Myconium hospitem dum expecto in arce Callidemidem'.

'Hos dies multos': Plaut. Men. 105 cf. sup.

'Paucos dies': Sall. Cat. 36, 1 'Set ipse paucós dies conmoratus apud G. Flaminium Flammam in agro Arretino, dum vicinatem antea sollicitatam armis exornat, ... ad Manlium contendit'.

'Amplius horam': Catull. XCIX, 5 'amplius horam Suffixum in summa me memini esse cruce, Dum tibi me purgo'.

'Iam dudum': Plaut. Cas. II, 6, 15 'atque adeo mihi dum cupio, perperam Iam dudum hercle fabulor'.

'Ibei' (sensu temporali, ut videtur): Enn. Ann. 261 (Vahlen.) 'Dum censent terrere minis, hortantur ibei sos'.

'Tantum modo': Sall. Jug. 53, 3 'Numidae tantum modo remorati, dum in elephantis auxilium putant, postquam . . . . vident, fugam faciunt'.

'Usque . . . dudum': Ter. Heaut. 983 'Immo et ibi nunc sum et usque id egi dudum, dum loquitur pater'.

Sentimus vim *causalem*: Sall. Cat. 58, 4 'Scitis equidem, milites, ..., quoque modo, dum ex urbe praesidia obperior, in Galliam proficisci nequiverim'; Hist. I, 41, 6 (Dietsch.), pravissumeque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit, dum vos metu gravioris serviti a repetunda libertate terremini' — respondet coniunctioni adverbium 'adhuc' —.

G.

De 'dum' coniunctione cum indicativo praesentis historici sine perfecta actionum congruentia temporali usurpata.

Coincidunt tantum hic enuntiationes. Coniunctio semper 'während' reddenda est.

Loci sunt: Plaut. Amph. 1120 'Dum haec aguntur, voce clara inclamat uxorem tuam'; Bacch. 950 'ille inventus mendicans paene

interit, Dum ibi facta exquirit Iliorum'; Cas. II, 3, 24 'Pol ego amico dedi cuidam operam, dum emit unguenta'; V, 2, 8 'Sed tamen tenebrae ibi oriuntur, tanquam in puteo, dum senei Apte decumbe, inquam' — 'erant' libri, 'oriuntur' Geppertus; 'cum senex' libri, 'dum senei' Geppertus —; 29 'Dum gladium ne habeat, quaero, arripio capulum'; 4, 7 'In adulterio, dum moechissat Casinam, credo, perdidit'; Curc. 410 'istoc nomine, Dum scribo, explevi totas ceras quattuor'; 682 'Velut decem minas dum hic solvit, omnis mensas transiit'; Epid. 669 'ita, dum te sequor, Lassitudine invaserunt misero in genua flemina'; Men. 449 'Ubi ego dum hieto, Menaechmus se subterduxit mihi Atque abiit ad amicum'; Merc. 97 'sed dum in portu illi ambulo, Hospes me quidam adgnovit, ad cenam vocat'; 193 'Dum haec aguntur, lembo advehitur tuos pater pauxilulo'; 924 'Mater iratast patri vehementer, quia scortum sibi Ob oculos adduxerit in aedis, dum ruri ipsa abest'; Mil. 309 'Dum ego in tegulis sum, illa ec suo sed hospitio edit foras' — 'illac haec sumnt' D, 'illa hec (haec C) sum' B²C, 'illaec se' B³; Ribbeckii recepi coniecturam, ceterum de verbis et coniunctione non dubitatur —; Most. 1018 'mecum ut ille hic gesserit, Dum tu hinc abes, negoti'?; Poen. 803 'paululum Praedae intus feci, dum lenonis familia Dormitat'; 1317 'Quin adhibuisti, dum istaec loquere, tympanum'?; Rud. 313 'adulescentem . . . ., dum hic astatis, vidistis huc venire'?; 369 'properans exsolvi restem, Dum illi timent'; 515 'Mendicitatem mi optulisti opera tua, Dum tuis ausculto magnidicis mendaciis'; Trin. 166 'ruri dum ego sum unos ex dies, Me apsente atque insciente, inconsultu meo, Aedis venalis hasce inscribit litteris'; Enn. Ann. 365 (Vahlen.) 'Missaque per pectus dum transit, striderat hasta'; Ter. Ad. 541 'Praeterea autem, dum illum quaero, a villa mercenarium Vidi'; Eun. 328 'is, dum hanc sequor, fit mihi obviam'; 629 'Dum rus eo, coepi egomet mecum inter vias . . . . Aliam rem ex alia cogitare'; 950 'Perdidisti istum . . . . adulescentulum, Dum studes dare verba nobis'; Heaut. 17 (prol.) 'Nam quod rumores distulerunt malivoli, Multas contaminasse Graecas, dum facit Paucas Latinas'; 272 'hoc ipsa in itinere alterae Dum narrat, forte audivi'; 655 'ea lavatum dum it, servandum mihi dedit'; Hec. 829 'Dicitque sese illi anulum, dum luctat, detraxisse'; Phor. 1007 'et inde filiam Suscepit iam unam, dum tu dormis'; Turp. v. 149 R. 'Quibus rem rebus dispoliasti, foede dum in lustris lates'; Lucil. 1014 L. 'Scipiadas, dicta Apulu' dum usque intorquet in ipsum . . . . Ibat forte domum' — Sic Lachmannus; 'Scipiadas dicto tempusque intorquet in ipsum' e. q. s. Festus, p. 294, 27 (M.); ego locum tam

corruptum, ut par erat, non adnumeravi —; Claud. Quadrig. Ann. frg. 10b (Peter) 'dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scuto percussit'; frg. 13 'Ea dum fiunt, Latini subnixo animo ex victoria inerti consilium ineunt'; Laber. v. 62 R. 'Dum diutius retinetur, nostri oblitus est'; Varr. Men. Manius VIIII (4) Büch. 'quod dum administrant, in scrobe fodiendo inveniunt arcam'; Serranus VIII (3) 'dum in agro studiosius ruror, aspicio Triptolemum sculponeatum bigas sequi cornutas'; Rer. rust. III, 6, 1 'at Murrius, qui, dum loquitur Vaccius, cum Lucieno redisset', e. q. s.; Catull. XCIX, 1 'Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuventi, Suaviolum dulci dulcius ambrosia'; Sall. Cat. 50, 1 'Dum haec in senatu aguntur et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, conprobato eorum indicio, praemia decernuntur, liberti .... opifices .... sollicitabant' e. q. s.; 56, 1 'Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia quam et ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit'; Iug. 22, 1 'Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis quod Romae, dum proficisci parant, de proelio facto et obpugnatione Cirtae audiebatur'; 32, 2 'Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitui praeerant .... facinora fecere'; 52, 5 'dum legatus ad flumen quo praemissus erat festinans pergit, ... aciem exornat' e. q. s.; 58, 1 'Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex inproviso castra hostium cum magna manu invadit'; 95, 1 'dum ea res geritur, L. Sulla quaestor cum magno equitatu in castra venit'; 101, 5 'Dum eo modo equites proeliantur, Bocchus cum peditibus ...., postremam Romanorum aciem invadunt'; 9 'At Iugurtha, dum sustentare suos et prope iam adeptum victoriam retinere cupit, ...: solus inter tela hostium vitabundus erumpit'; Hist. III, 67, 2 (Dietsch.) 'at Varinius, dum haec aguntur a fugitivis, ... quaestorem suum G. Thoranium .... miserat'.

Corroboratur 'dum' his adverbiis.

'Interea': Ter. Phor. 91 'Interea dum sedemus illi, intervenit Adulescens quidam lacrumans'.

'Interim': Ter. Eun. 843 'interim Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam Venit'; Pomp. v. 190 R. 'interim Dum contemplor orcam ... taxillos perdidi'.

Respondent coniunctioni haec adverbia vel locutiones adverbiales.

'Atque': Plaut. Bacch. 279 'Dum circumspecto me, atque lembum conspicor' — cf. Ribbeck. Beiträge etc., p. 22 —.

'Iam': Plaut. Pseud 1279 'Itaque dum enitor, prox, iam inquinavi pallium'.

'Interea': Plaut. Amph. 1098 'dum haec aguntur, interea uxorem tuam Neque gementem neque plorantem quisquam audivimus'; Ter. Eun. 255 'Dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi adventamus, Concurrunt laeti mi obviam cuppedinarii omnes'; 592 'Dum haec mecum reputo, arcessitur lavatum interea virgo'; Heaut. 242 'verum interea, dum sermonis caedimus, illae sunt relictae'; 257 'Dum ego propter te errans, patria careo demens, tu interea loci Conlocupletasti te'; Varr. Men. Endymiones III (6) Büch. 'dum sermone cenulam variamus, interea tonuit bene tempestate serena'.

'Interim': Plaut. Mil. 1271 'Dum te obtuetur, interim linguam oculi praeciderunt'; Rud. 37 (prol.) 'Sed dum alios servat, se impedivit interim'; Stich. 366 'Dum percontor portitores, ecquae navis venerit Ex Asia, negant venisse: conspicatus sum interim Cercurum, quo ego me maiorem non vidisse censeo'; Trin. 30 'Sed dum illi aegrotant, interim mores mali, Quasi herba inrigua, succrevere uberrume'.

'Hac nocte': Ter. Heaut. 492 'Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis, Dum id quaero, tibi qui filium restituerem'.

'Modo': Plaut. Epid. 650 'Quid? ego modo sum huic frater factus, dum ego eo intro atque exeo'?

His locis animadvertitur vis *causalis*: Plaut. Poen. 362 'Liberare iuravisti me haud semel, sed centiens: Dum te exspecto, neque ego usquam aliam mihi paravi copiam' e. q. s.; Ter. And. 822 'Dum studeo obsequi tibi, paene inlusi vitam filiae'; Eun. 745 'quia, dum tibi sororem studeo Reddere ac restituere, haec atque huius modi sum multa passa'; Phor. 76 'Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi'; Catull. XLIV, 9 'quam (tussim) mihi meus venter, Dum sumptuosas appeto, dedit cenas'; 10 'Nam Sestianus dum volo esse conviva, Orationem legi'; LXV, 22 'Quod miserae oblitae molli sub veste locutum,

Dum adventu matris prosilit, excutitur'; Sall. Jug. 4, 9 'Verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque'; 42, 4 'Quae res plerumque magnas civitates pessum dedit, dum alteri alteros vincere quovis mode et victos acerbius ulcisci volunt'.

H.

Constituit 'dum' coniunctio cum indicativo praesentis usurpata actionis primariae *terminum*.

Particulae nostrae adhuc investigatio id sane comprobavit, significationes eius omnes ad unam illam notionem temporalem ('die Weile', 'so lange', 'während') referendas esse et ex hac repetendas.

Neque vero aliter res in hoc usu quem nunc tractamus se habet. Altius tamen quam supra factum est nos, ut hoc demonstremus, ad constructionis fontem oportet accedere. Quod cum nonnulli viri docti non fecerint, 'vera viai', quamquam rem alioqui recte tenent, amiserunt.

Hi enim condicionem qualis in hoc loco (Ter. Ad. 196), 'Delibera hoc, dum ego redeo', eminet animo contemplati notionem 'bis' ita facile explanarunt, ut enuntiationem subiunctam continuo pro *mensura* quadam habeant, qua actionis primariae *spatium temporale* indicetur. Reddunt igitur particulam primo 'während', id est 'erwäge dies, während ich zurückkomme', deinde ex hac notione, ut ita dicam, *mensurali* significationem *terminalem*[1]) 'bis' ortam esse affirmant[2]).

Quod quidem speciosius est nec a veritate ita remotum, pertinet tamen haec explicatio ad ea tantum exempla in quibus, ut in loco Terentiano, actiones ambae, et subiuncta et principalis, *iuxta pariterque* exsistere possunt. Etenim ut omnino significationem 'während' pro *primitiva* in hoc usu habeamus, necesse est, ut in

1) Scilicet terminum actionis indicans.

2) Pro longitudinis imagine termini notione substituta.

omnibus exemplis actiones in *uno temporis spatio* ('in einer Zeitsphäre') fiant.[1]) Quod autem fieri non potest, si quidem actio subiuncta primariam necessario statim tollit, sicut in hoc quod confinxi exemplo: 'vivit aliquis, dum (donec) moritur'. Nimirum simplex illa explanatio, 'man lebt, während man stirbt', hic absurdior esset.

Huius modi autem exempla, in quibus ultimus temporis terminus designatur, quo eadem actio continuatur, re vera exstant[2]), velut haec: Lucr. IV, 1114 'Usque adeo cupide in Veneris compagibus haerent, Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt'; Catull. LXI, 161 'Quae tibi sine serviat,........ Usque dum tremulum movens Cana tempus anilitas Omnia omnibus adnuit'. His locis actiones inter se plane contrariae sunt, nec pariter, si verborum et ipsius scriptoris sententiam respicis, ullo modo durare possunt. Explicatio igitur simplex illa per notionem mensuralem, coniunctione 'während' reddita, hic repudianda est.

Namque oportet nos, ni fallor, ut constructionis *origo* omnino manifesta sit, ad condicionem *parataxeos* reverti. Hic adverbia illa 'usque adeo' et 'usque' neglegi possunt, cum *ex ea demum correlationis condicione*, ut in fine opusculi demonstrabo, repetenda sint.

Sic igitur exempli gratia locus Lucretianus ad parataxin scribendus est: 'cupide in Veneris compagibus haerent — membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt'. Vertimus, cum utraque sententia quasi per se exstet, praebente particula vim temporalem *adverbialem*, his verbis: 'begierig hängen sie e. q. s. — die Weile lösen sich die Glieder auf' e. q. s. (und dann natürlich gehen sie auseinander). Enuntiantur enim per se primum illa 'cupide..... — haerent'. Deinde haec 'membra.....dum.....liquescunt' libere affirmantur. Hac quidem enuntiatione secunda illius prioris terminum absolutum constitui, *sentit animus eius qui loquitur et eius qui audit.* Est igitur in parataxi haec relatio terminalis *extraneum* aliquid, quod aperte propriaque voce haud quaquam indicatur, sed *cogitando* demum verbis subicitur.

---

1) Non dico *idem* prorsus temporis spatium sed *commune*.

2) Saepius cum futuro et perfecto occurunt, de quibus infra dicetur.

Iam quaeritur, quo tandem modo 'dum' particula quae, ita ut descripsi, enuntiationi postea subiunctae addita erat sensu *adverbiali*, *coniunctio* notione 'bis' evadere potuerit. Quod sane demonstrari non potest, sentiri potest. Cum enim particula paene semper *initio* enuntiationis quae terminum alterius re vera constituit exstaret tamquam *in ambarum confinio*, paulatim in illam adversus vim temporalem *insinuata* est notio etiam eius relationis *terminalis* quae enuntiationi secundae cum priore intercessit. Unde 'tempore dilapso' *correlatio* quaedam prodiit, in qua addita sunt adverbia expletiva 'usque adeo', 'usque' etc., quae terminalem enuntiationum conexum magis perspicuum redderent. Tum denique, cum correlationem *hypotaxis* secuta esset, particula perfectam vim coniunctionalem 'bis' in omne tempus occupavit[1]).

Ceterum hanc mutationem totam multo faciliorem omnino reddidit eorum locorum exemplar in quibus enuntiationum actiones pariter exsistere *potuerunt*, velut in illo Terentiano (Ad. 196): 'Delibera hoc, dum ego redeo'. Sane *hic quoque* parataxis condicio fuit *primitiva*, ut exemplum sic exstitisse fingere liceat: 'delibera hoc — dum ego redeo' (und dann brauchst du es nicht mehr zu erwägen). Sed cum actiones non repugnantes *iuxta* fieri possent, facillime e parataxi orta est correlatio, tum e correlatione hypotaxis, particula 'während' significante. Quae quidem significatio notionem 'bis', ut supra indicavi et multi viri docti praeterea ostenderunt, ipsa facile procreavit.

Iam hi loci frequentes occurrunt. Non minimum ergo praeter causas quas dixi momentum ut normae habuerunt, ut in eis quoque locis ubi sententiae repugnabant (Lucr. IV, 1114; Catull. LXI, 161 et sim.) ex 'dum' adverbio notio coniunctionalis 'bis' exsistere posset.

Sed pergamus ad ipsa exempla. Haec sunt: Plaut. Curc. 466 'sed dum hic egreditur foras, Commonstrabo quo in quemque homi-

1) Conferenda sunt Ludovici Langii verba in capite secunda iam allata: .... 'dass vielmehr alle Wörter, die wir Conjunctionen nennen, vorher Adverbien oder Partikeln waren, und zu Conjunctionen erst dadurch bei der Entwickelung der Hypotaxis aus der Parataxis wurden, dass sie die Andeutung des Verhältnisses enthielten, in welchem der untergeordnete Satz zu seinem Hauptsatze steht'.

nem quis facile inveniat loco'; Rud. 880 'equidem suadeo Ut ad nos abeant potius, dum recipis'; 938 'mane......, dum hanc tibi quam trahis rudentem conplico'; Truc. 887 'Quem ego ecastor mage amo quam me — dum id quod cupio inde auferro'; Caec. v. 227 R. 'hic dum abit, huc concessero'; Ter. Ad. 196 'Delibera hoc, dum ego redeo, leno'; Eun. 206 'Concedam hinc intro atque exspectabo, dum venit'; Heaut. 717 'Unus est dies, dum argentum eripio'; Hec. 414 'aliquo mihi est hinc ablegandus, dum parit Philumena'; Pomp. v. 66 R. 'dum ego revortor, age, anus, accinge ad molas'; Varr. De ling. lat. VI, 8 'Tempus a bruma ad brumam dum sol redit, vocatur annus'; 10 'mensis a lunae motu dictus, dum ab sole profecta rursus redit ad eum'; Rer. rust. I, 2, 12 'itaque dum......venit aeditumus, docete nos', e. q. s.; Lucr. I, 949 'Si tibi forte animum tali ratione tenere Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem Naturam rerum'; V, 770 'Cur nequeat (luna) certa mundi languescere parte, Dum loca luminibus propriis inimica per exit'.

Corroboratur 'dum' his adverbiis.

'Adeo': Plaut. Merc. 657 'Quanto te satiust rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere Adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit'?

'Adeo usque': Plaut. Asin. 328 'age, age, mansero, Tuo arbitratu, vel adeo usque dum peris'.

'Usque': Cat. LXI, 161 'Quae tibi sine serviat........Usque dum tremulum movens Cana tempus anilitas Omnia omnibus adnuit'.

Coniunctioni respondent haec adverbia vel locutiones adverbiales.

'Adeo': Ter. Phor. 737 'adeo maneo, dum haec quae loquitur magis cognosco'.

'Aliquot dies': Plaut. Curc. 242 'quin tu aliquot dies Perdura, dum intestina exputescunt tibi'; Mil. 583 'Nam iam aliquo aufugiam aut me occultabo aliquot dies, Dum hae consilescunt turbae atque irae leniunt'; Ter. And. 329 'saltem aliquot dies Profer, dum proficiscor aliquo, ne videam'.

'Ilico': Plaut. Rud. 879 'ibidem ilico Manete, dum ego huc redeo'.

'Interea': Ter. Ad. 785 'dum hae silescunt turbae, interea in angulum Aliquo abeam atque edormiscam hoc villi'; Eun. 894 'vin interea, dum venit, Domi opperiamur potius quam hic ante ostium'?; Heaut. 833 'Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere'; Varr. Rer. rust. I, 2, 2 'Voltis igitur interea vetus proverbium, quod est 'Romanus sedendo vincit', usurpemus, dum ille venit'?

'Parumper': Ter. And. 714 'tu, Mysis, dum exeo, parumper me opperire hic'.

'Tantisper': Plaut. Most. 683 'Ego hic tantisper, dum exis, te opperiar'.

'Triduom hoc'; Plaut. Truc. 874 (sinas eum esse apud me) 'Triduom hoc saltem, dum mi aliqui miles circumducitur'; Ter. Phor. 513 'Nequeo exorare, ut me maneat et cum illo ut mutet fidem Triduom hoc, dum id quod est promissum ab amicis argentum aufero'.

'Usque adeo': Lucr. IV, 1114 'Usque adeo cupide in Veneris compagibus haerent, Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt'.

Denique transitionis quae in 'dum' particulae significatione hic facta est similitudines, ni fallor, in aliis linguis praesto sunt. Nam Graeci coniunctionibus ἕως, μέχρι, ὄφρα et notiones 'so lange als' vel 'während' et 'bis' significabant. Accedunt linguarum testimonia Germanicarum: 'Das Altengl. gebraucht in demselben Sinne (i. e. so lange als) auch *till* (bis); So wurden das goth. *unte*, das mhd. *biz* für so lange als und so lange bis verwendet' (Mätzner. Engl. Gram.² II, 2, p. 464). Rursus pro ('un)till' etiam hodie 'while' ('die Weile', 'während') usurpatur[1]): '*while* diente übrigens früher auch statt *until*, bis, wie noch jetzt in Yorkshire (s. Craven. Dial. II, 254)' (Mätzner. l. c. I³, p. 468)[2]).

1) Sed nonnisi in actionibus haud inter se repugnantibus.

2) Cf. Koch. Hist. Gram. d. Engl. Spr.² II, p. 499: 'In Cleve, *while* = bis: Wait while I come. In dieser Bedeutung auch Praeposition: Not while night = not before, until night'.

I.

De ʻdumʼ coniunctione ratione modo tractata cum coniunctivo praesentis usurpata.

Nimirum huius usus ultima origo eadem est quae illius sub H. disceptati. Totam ergo explanationem iterando ne longus sim, sat erit parataxeos hoc unum apponere specimen commenticium: (Plaut. Bacch. 932) ʻlubet lamentari — dum exeatʼ (und dann erst will ich aufhören).

Significatio autem universa alia sane hic est quam in exemplis sub H. allatis. Cuius quidem differentia ex *coniunctivi* natura generali repetenda est. Repraesentat enim omnino coniunctivus actionem sub voluntatis forma vel cupidinis vel opinionis. Sequitur, ut ibi imprimis exstet, ubi sententia plus minus dubitanter proponitur. Itaque utrum coniunctivus certo loco usurpandus sit necne, *e condicione animi eius qui loquitur* prorsus pendet. Quam rem perbene illustrat locus Varronianus: Rer. rust. I, 2, 12 ..... ʻsed ne illud quidem ovom vidimus, quod in cenali pompa solet esse primum. itaque dum id nobiscum una *videatis* ac *venit* aeditumus, docete nosʼ e. q. s.. Indicat scilicet Agrius illo ʻvideatisʼ rem in futuro atque quodam modo in dubio positam, hoc autem ʻvenitʼ factum definitum et pro certo, ut liber ipse docet, habitum. Quod exemplum coniunctivi et indicativi in hoc usu dissimilitudinem totam comprehendit.

Ex iis verbis quibuscum saepius coniunctivus legitur praesertim commemoranda sunt illa ʻexpectandiʼ, ʻopperiendiʼ, ʻmanendiʼ et sim.. Latet enim hic voluntas semper vel cupido coniuncta sane cum consilio aliquo, de cuius eventu, ut de omnibus humanis, plus minus dubitari potest. Sin de *facto* agitur, indicativus etiam hic usurpatur: Ter. Eun. 206 ʻConcedam hinc intro atque exspectabo, dum venitʼ.

Coniunctivum praebent exempla eius generis haec: Varr. De ling. lat. VI, 91 (ex commentario vetere: cf. Lange. Röm. Staatsalterth. II³, p. 551) ʻAuspicio orando sede in templo auspicii, dum aut ad Praetorem aut ad Consulem mittas auspicium petitumʼ; Plaut. Bacch.

18 'atque ibi sedens, dum is veniat, opperibere'; Cist. V, 1, 9 'Ne exspectetis, spectatores, dum illi huc ad vos exeant'; Men. 883 'Lumbi sedendod, oculi spectando dolent, Manendo medicum, dum se ex opere recipiat' — 'sedendod' Ritschelius, Neue Pl. Exc. I, p. 72 —; Mil. 1249 'Immo opperiamur, dum exeat aliquis'; Rud. 922 'Non enim illum exspectare oportet, dum erus se suscitet ad suum officium'; Truc. 482 'Ne exspectetis, spectatores, meas dum pugnas praedicem'; Ter. And. 977 'Memini: atque adeo longumst illum me exspectare, dum exeat'; 980 'Ne exspectetis, dum exeant huc: intus despondebitur'; Eun. 535 'ad tu aput nos hic mane, Dum redeat ipsa'; Heaut. 543 'Et nunc quid exspectat Syre? an dum hic denuo abeat'; Phor. 480 'Mansurusque patruom pater est, dum huc adveniat'; Lucil. 144 Lach. 'nec longiu' quicquam nobis quam dextrae gladium dum accomodet alter'; Varr. Rer. rust. I, 2, 2 'itaque si ita est, ut adnuis, morere oportet nobiscum, dum ille revertatur'; II, 2, 11 'circiter meridianos aestus, dum defervescant, sub umbriferas rupes et arbores patulas subigant'; III, 2, 1 . . . . . 'Axius mihi, Dum diribentur, inquit, suffragia, vis potius villae publicae utamur umbra', e. q. s.?; 16, 30 'quae primo cum exierunt, in conspectu volitant reliquas, quae nondum congregatae sunt, respectantes, dum conveniant'; Lucr. I, 499 'ades, paucis dum versibus expediamus Esse ea' e. q. s.; 1045 'Cudere enim crebro possunt partemque morari, Dum veniant aliae ac suppleri summa queatur'; V, 700 'Propterea noctes hiberno tempore longae Cessant, dum veniat radiatum insigne diei'; Sall. Hist. I, 48, 10 (Dietsch.) 'An exspectatis, dum exercitu rursus admoto ferro atque flamma urbem invadat'?

Coniunctioni respondent haec adverbia vel locutiones adverbiales.

'Admodum': Cat. De agr. cult. CLVI, 2 'postea ubi occipiet fervere paulisper, demittito admodum, dum quinque numeres.'

'Aliquot dies': Cat. Orig. lib. V, frg. 1, 1 (Jordan.) 'quo maiore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatnr, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus.'

'Iam dudum': Varr. Rer. rust. I, 51 'Agrius, Iam dudum, inquit, in villa sedens exspecto cum clavi te, Stolo, dum fructus in villam referas'.

'Ilico': Plaut. Rud. 328 'Nunc quid mihi meliust, quam ilico [ut] erum opperiar, dum veniat'.

'Interim': Plaut. Truc. 716 'Ego hic interim restitans praesidebo, Istic dum sui faciat domum ad te exagogam' — versus sic constituit Büchelerus (Schoell. praef., p. XLVI): 'interim hic' libri; 'restiti tricis' B, 'restitricis' CDL, 'restricis' Z; 'iste' libri; 'sic' libri —.

'Nunc': Plaut. Pseud. 1234 'nunc ne exspectetis, dum hac domum redeam via'.

'Paulisper': Plaut. Amph. 697 'paulisper mane, Dum edormiscat unum somnum'.

Restant exempla nonnulla iis quae attuli in hoc dissimilia, quod verba 'exspectandi' et sim. hic non leguntur. Ceterum duo genera universe haud ita inter se differunt.

Haec sunt: Plaut. Bacch. 932 'lubet lamentari, dum exeat'; Curc. 526 'istas minas decem, qui me procurem, Dum melius sit mihi, des' — sic editores cum E; B habet 'fit mihi', F 'mihi fit' —; Poen. 786 'mihi, quaeso hercle, operam date, Dum me videatis servom ab hoc abducere'; Truc. 23 'Non omnis aetas ad perdiscendum sat est Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis' — versum interpolatum esse putat Schoellius (Act. Soc. phil. Lips. II, p. 458); ego eum omittere nolui; cf. quae dixi ad Most. 99 (D.) —; Cat. De agr. cult. CIII, 1 'pabulum quod dabis amurca spargito; primo paululum, dum consuescant'; Ter. Phor. 770 'etiam argentumst ultro obiectum, Ut sit qui vivat, dum aliut aliquid flagiti conficiat'; Varr. Rer. rust. I, 2, 12 'itaque dum id nobiscum una videatis ....., docete nos' e. q. s.; Lucr. II, 152 'quo tardius ire Cogitur, aërias quasi dum diverberet undas' — 'Lambinus pessime *quasi dum diverberat:* nam *dum* intellegendum est *donec*'; sic Lachmannus —.

Corroboratur 'dum' his adverbiis.

'Usque': Cat. De agr. cult. CLX 'incipe cantare ....., usque dum coeant. (incipe cantare) motas vaeta ....., usque dum coeant';

Varr. Rer. rust. III, 9, 3 'gallos castrant, ut sint capi, candenti ferro inurentes ad infima crura, usque dum rumpatur'.

'Tantisper': Plaut. Rud. 1190 'Quid meliust quam ut hinc intro abeam et me suspendam clanculum, Saltem tantisper dum abscedat haec a me aegrimonia'.

Coniunctioni respondent haec adverbia.

'Interim': Plaut. Trin. 757 'Dum occasio ei rei reperiatur, interim Ab amico alicunde mutuom argentum rogem'.

'Usque adeo': Cat. De agr. cult. LXXXXV, 1 'postea (amurcam) igni leni coquito, rudicula agitato crebro usque adeo, dum fiat tam crassum quam mel'.

'Usque': Cat. De agr. cult. CVII, 2 'usque coquito, dum dimidium excoquas'.

Coniunctivum quidem saepius hic dubitationi cuidam eius qui loquitur omnino deberi, supra affirmavi. Approbant hoc exempla. Quid enim aliquis ipse facturus sit, in dubio sane minus versatur quam quid is de quo loquitur facturus. Itaque in hoc usu terminali plerumque in *prima* persona indicativus occurrit, in *tertia* coniunctivus. Exhibent quidem exempla XXXII sub H. allata *primam* personam *undecies*, haec autem XLIII proxime laudata *eandem* personam *quinquies*, illa *tertiam* personam *septies decies*, haec *eandem bis et tricies*. Quantum ad *secundam* personam attinet, occûrrit haec sub H. *quater*, supra *sexies*, quippe quia quid is quocum aliquis loquitur facturus sit, ut alias certum, ita alias pariter dubium est.

Quae cum ita sint, etiam in oratione recta coniunctivus praesentis, ut opinor, hoc loco futurus fuisset: Plaut. Asin. 369 'Te (narra) ex Leonida futurum esse atriensem Sauream, Dum argentum adferat mercator pro asinis'.

In his exemplis coniunctivus exstat *imperfecti* per temporum consecutionem: Plaut. Trin. 170 'Lupus observavit, dum dormitaret canes';

Truc. 843 'Nam haud mansisti, dum ego darem illam' — 'dum' Camerarius, 'dẽ' B, 'idem' CD, 'ut' LZ —; Ter. Ad. 673 'an sedere oportuit Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc illuc veniret exspectantem'?; Quadrig. frg. 46 (Peter.) 'Fabius de nocte coepit hostibus castra simulare oppugnare, eum hostem delectare, dum collega id caperet quod captabat'; Varr. De ling. lat. VII, 105 'Liber qui suas operas in servitutem pro pecunia quadam debebat, dum solveret, nexus vocatur'; Rer. rust. II, 4, 1 'qui quaestor cum esset . . . . relictus, qui praeesset exercitui, dum praetor rediret, hostes . . . . impressionem facere coeperunt in castra'; Lucr. V, 976 'Sed taciti respectabant somnoque sepulti, Dum rosea face sol inferret lumina caelo'; Sall. Iug. 68, 3 (docet) 'decere illos relicum laborem aequo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis atque miserrumis, poenas caperent'.

Coniunctioni respondent haec adverbia.

'Longe': Varr. Rer. rust. II, 1, 5 'et quo descenderant, ibi processerunt longe, dum ad nos perveniret'.

'Plerumque': Ter. Phor. 90 'hic solebamus fere Plerumque opperiri, dum inde iret domum'.

Restat usus satis notabilis, praebente coniunctione sensum qui dicitur *finalem*[1]), cum enuntiatio subiuncta consilium agentis exponat. Hic 'dum' ab illo tritissimo 'ut' hoc differt, quod 'ut' *modum* indicat consilii perficiendi, 'dum' *tempus in quo* consilium perficiendum est. Oportet enim actiones ambas hic, ut alias, *in uno temporis spatio* fieri. Quae res particulae omnino obstitit, quominus coniunctio *perfecte* finalis exstare posset[2]).

Exempla sunt: Plaut. Asin. 935 'Non licet manere (cena coquitur) dum cenem modo'?; Truc. 30 'Quid perierant, dum eliciant pretia

1) Cf. Priscian.: Keil. Gram. Lat. III, pp. 298, 503.

2) Cf. Weber. Entwickelungsgesch. d. Absichtsätze I (Schanz. Beitr. II, 1), p. 17 . . . . 'reine Finalpartikel wird ὄφρα dann, wenn die Handlung des Absichtssatzes nicht an eine Zeitdauer der vorausgehenden Handlung angereiht werden kann, wenn also nicht gesagt ist, dass die erste Handlung so lange währen soll, bis die zweite eingetreten ist'.

munera'! — 'perieran dum' B, 'per ierandum' C, 'perierandum' D, 'peierandum' Z, 'perferundum' L; felicissime Schoellius 'perierant, dum' et idem pro librorum 'est etiam' 'eliciant'; nec mihi dubium est quin 'am' ad coniunctivum spectet —; Cat. De agr. cult. LXXVI, 4 'aperito, dum inspicias, bis aut ter'; Varr. Rer. rust. III, 9, 10 'eas includere oportet, ut diem et noctem incubent, praeterquam [a] mane et vespere, dum cibus et potio iis detur'.

Coniunctioni respondent haec adverbia.

'Biduum aut triduum': Varr. Rer. rust. II, 2, 15 'biduum aut triduum retinent, dum adcognoscant matrem agni et pabulo se saturent'.

'Triduom hoc': Plaut. Asin. 429 'Quia triduom hoc unum modo foro operam adsiduam dedo, Dum reperiam qui quaeritet argentum in fenus, hic vos Dormitis' e. q. s. — 'dedo' pro librorum 'dedi' cum Bentleio et Goetzio scribo (cf. Nov. ann. vol. 113 (a. 1876), p. 360); ceterum 'dedi' desideraret, ut infra (Mil. 869; Pseud. 1282), imperfectum —.

Coniunctivum *imperfecti* per temporum consecutionem exhibent exempla duo: Plaut. Mil. 869 'hunc subcustodem suom Foras ablegavit, dum ab se huc transiret'; Pseud. 1282 'Inde huc exii, crapulam dum amoverem'.

Nec aliter apud Graecos coniunctiones ὄφρα et ἕως et 'so lange als' et 'bis' et 'damit' significant, quarum notionum temporalis illa 'so lange als' sine dubio veterrima est (Weber. l. c., pp. 15—19). Quae quidem ambo factae sunt coniunctiones *perfecte* finales, quorum ὄφρα usque ad Tragicorum tempora hoc sensu occurrit, ἕως autem solum in Odyssea.

Ego quoque, si mihi testimonia adferre licet, memini me puerum illud 'till' ('bis') haud raro pro 'so that' ('damit') audivisse, cum aequales licet non Homerica illa verborum sublimitate locutione tamen, quantum ad coniunctionem attinet, valde Homerica ita ad pugnam inter se provocarent: 'Come here, *till* I give you a thrashing'.

J.

De 'dum' coniunctione cum indicativo imperfecti usurpata.

Imperfectum cur in hoc capite III. tractaturus sim, non est quod exponam. Nam thema *praesentis* satis perspicue praebet. Ceterum hic imperfecti et infra futuri usus brevitatis causa totos sub una littera enarrabo.

Pauca exstant exempla, quorum enuntiationes omnes *concurrunt*: Plaut. Truc. 164 'Te, dum vivebas, noveram'; Ter. And. 54 'Qui scire posses aut ingenium noscere, Dum aetas metus magister prohibebant'?; Eun. 728 'At dum accubabam, quam videbar mihi pulchre esse sobrius'!; Sall. Hist. I, 10 (Dietsch.) 'plurumae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes .... dominationes adfectabant'; VI, 61, 5 'Qua primo cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere, dum a Carthaginiensibus premebantur amicitiam simulantes'.

Coniunctivus exstat imperfecti per attractionem pro indicativo semel: Varr. Rer. rust. I, 1, 3 'neque patiar Sibyllam non solum cecinisse quae, dum viveret, prodessent hominibus, sed etiam' e. q. s..

K.

De 'dum' coniunctione cum indicativo futuri usurpata.

a.

Concurrunt enuntiationum tempora.

Exempla primum affero in quibus enuntiatio principalis praesentem exhibet, deinde ea in quibus vel futurum habet vel formam sensu futuram.

Prioris generis reperiuntur haec: Plaut. Rud. 558 'tibi quidem edepol copiast, Dum lingua vivet, qui rem solvas omnibus'.

Respondent coniunctioni adverbia.

'Nunc': Plaut. Amph. 96 (prol.) 'nunc vos animum advertite, Dum huiusce argumentum eloquar comoediae'.

'Tantisper': Ter. Heaut. 107 'Ego te meum esse dici tantisper volo, Dum quod te dignumst facies'.

Uno loco vim sentimus *condicionalem*: Plaut. Bacch. 226 'non metuo mihi nec quoiquam supplico, Dum quidem hoc valebit pertus perfidia meum' — corroboratur 'dum' adverbio 'quidem' —.

Futurum vel formam sensu futuram praebent in enuntiatione principali: Plaut. Cas. II, 8, 30 'Ut tibi, dum vivam, bene plus velim quam mihi'!; Curc. 369 'Tu tabellas consignato, hic mihi ministrabit, dum ego edam' — 'dum' exstat per coniecturam Reizii quem secuti sunt Fleckeisenus et Goetzius —; Cat. De agr. cult. CXLIV, 5 'quod oleae salsae non acceperint, dum oleam legent, in modios singulos SS. S. S. dabuntur'; Orat. frg. IX, 1 (Jordan.) 'quid illos bono genere natos, magna virtute praeditos opinamini animi habuisse atque habituros, dum vivent'? — retinetur 'vivent' ex oratione recta; 'vivent' libri (Gellii) omnes praeter Langerm. quod 'viverent' habet —; Ter. Ad. 118 'Amat, dabitur a me argentum, dum erit commodum'; Heaut. 714 'Nam dum amicam meam esse hanc credet, non committet filiam' — 'credat' A —; C. I. L. I, 198, 8 'De heisce, dum mag(istratuum) aut inperium habebunt, ioudicium non fiet'.

Corroboratur 'dum' his adverbiis.

'Tantisper': Plaut. Cas. II, 8, 50 'id rus erit, Tantisper dum ego cum Casina faciam nuptias'.

'Usque': Plaut. Men. 728 'Mea quidem hercle causa vidua vivito, Vel usque dum regnum optinebit Iuppiter'; Cat. De agr. cult. XXX 'Bubus frondem ulmeam, populneam, querneam, ficulneam, usque dum habebis, dato'; ibid. 'ovibus frondem viridem, usque dum habebis, praebeto'; Ter. Heaut. 136 'nam usque dum ille vitam illam colet Inopem, carens patria ob meas iniurias, Interea usque illi de me supplicium dabo'.

Coniunctioni respondent haec adverbia.

'Cotidie': Cat. De agr. cult. CXL 'dum opus erit, cotidie partes facito'.

'Interea usque': cf. sup. Ter. Heaut. 136.

'Interim': Plaut. Men. 214 'dum coquetur, interim potabimus'.

'Numquam': Ter. Ad. 157 'numquam, dum ego cedero hic te tanget'.

Subauditur vis *condicionalis.*

Exempla sunt: Plaut. Bacch. 443 'Noster esto, dum te poteris defensare iniuria'; Men. 93 'Facile adservabis, dum eo vinclo vincies'; Ter. Phor. 583 'Tacebit, dum intercedet familiaritas'.

Corroboratur 'dum' adverbio 'quidem'.

Plaut. Asin. 870 'ego istuc scio Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris' — habet 'nupta eris' vim futuri simplicis — ; Pseud. 507 'Numquam edepol quoiquam supplicabo, dum quidem Tu vivos vives' — 'vivos' addidit Ritschelius, collato v. 339, cf. infra —.

Coniunctioni respondent haec adverbia.

'Adsiduo': Plaut. Mil. 50 'Dum talem facies qualem adhuc, adsiduo edes'.

'Nunquam': Plaut. Pseud. 339 'dum ego vivos vivam, nunquam eris frugi bonae'; 507, cf. supra.

In duobus exemplis coniunctivus exstat praesentis per orationem obliquam pro indicativo futuri: Plaut. Bacch. 1194 'non iam tibi venit in mentem, Si, dum vivas, tibi bene facias, pol id esse haut perlonginquom' — impetus in dicendo causa verba, ni fallor, in oratione recta futura fuissent haec: 'si, dum vives, tibi bene facies' e. q. s. — ;

Truc. 440 'Sensi infidelem nunquam, dum vivat, fore' — 'Sensi' Schoellius, 'se mihi' codd., 'scio mi' Büchelerus; 'dum vivat' L Z, 'ne vivat' B C D: respondet coniunctioni adverbium 'nunquam' —.

Semel invenitur coniunctivus imperfecti per attractionem pro indicativo futuri: Plaut. Epid. 501 'Conducta veni ut fidibus cantarem seni, Dum rem divinam faceret'.

Semel per orationem obliquam: ibid. 316 'mane me iussit senex Conducere aliquam fidicinam, quae hodie domi, Dum rem divinam faceret, cantaret sibi' — 'quae hodie domi' Goetzius, 'sibi huc (hunc J) domum' libri, 'hodie' in 'huc' corrupto et 'sibi' ex versu sequenti intruso —.

b.

Coincidunt tantum enuntiationum tempora.

Exempla sunt: Plaut. Mil. 997 'Eos nunc homines metuo, ne obsint mihi neve obstent uspiam, Domo silenta dum huc transibit quae huius cupiens corporist' — 'domo silenta' Ribbeckius; 'Domosibitac' B D, 'Domus ibit ac' C, 'Domo si ibit ac F Z. In A nil exstat praeter 'D' litteram —; Truc. 737 'dum tu conmentabere, Volt illa itidem conmentari'.

Latet, ut videtur, vis *condicionalis* hoc loco: Nov. v. 75 R. 'dum istos invitabis suffragatores, pater, Prius in capulo quam in curuli sella suspendes natis'.

Semel exstat coniunctivus imperfecti per orationem obliquam pro indicativo futuri: Quadrig. frg. 43 (Peter.) 'Dum i conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum'.

c.

Constituit enuntiatio subiuncta enuntiationis primariae terminum.

Tres exstant exempla: Cat. De agr. cult. LXXXX 'oleo tangito depsitoque, dum poterit facere turundas'.

Corroboratur 'dum' his adverbiis.

'Adeo usque': Plaut. Amph. 472 'Erroris ambo ego illos et dementiae Conplebo atque Amphitruonis omnem familiam, Adeo usque satietatem dum capiet pater Illius quam amat'.

'Usque': Cat. De agr. cult. XXII, 2 'eodem modo latitudinem orbiculis ligneis aut armillis ferreis temperato, usque dum recte temperabitur'.

De *origine* quidem huius usus quaerentem ad ea quae sub H. dixi omnino remitto.

L.

De 'dum' coniunctione cum coniunctivo per se imperfecti usurpata.

Quae quidem exempla imperfectum coniunctivi aut per orationem obliquam, aut per temporum consecutionem, aut denique per attractionem praebent, ea omnia ad orationem rectam, statum cum tempore principali, statum ante attractionem factam relata sub variis litteris supra laudavi.

Restant loci tres ubi coniunctivus per se videtur exstare.

Semel invenitur enuntiatio *condicionalis* irrealis: Plaut. Bacch. 1048 'Ne ille edepol Ephesi multo mavellem foret, Dum salvos esset, quam revenisset domum'.

Semel propter enuntiationum conexum logicum efficitur vis quodam modo *concessiva*: Plaut. Rud. 1261 'Dum praedam habere censeret, interim Praeda ipsus esset: praeda praedam duceret' — Respondet coniunctioni adverbium 'interim' —.

Denique uno loco particula haud aliter atque illud 'cum' usurpatur: Sall. Cat. 7, 6 'se quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici dum tale facinus faceret, properabat'.

Notum est, hunc usum posteris temporibos saepius occurrere.

. . . .

. . . .

Reliquum est, ut coniunctionis cum themate *temporis praesentis* usus generalem addam

Con-

	A	C	D	E	F	G	H	J	K, a	K, b	K, c	Sum. Indd.	C. pr. p. or. obl.
Naevius													
Plautus	16	4	37	13	7	30	11	1	16	2	1	138	1 (E), 2 (K, a)
Ennius	1				1	1						3	
Cato			1						5		2	8	
Pacuvius													
Caecilius	1	1					1					3	
Titius	1											1	
Terentius	6	1	8	6	8	19	11	2	6			67	1 (A)
Titinius	1											1	
Turpilius						1						1	
Accius	1											1	
Lucilius			1									1	
Afranius													
Novius										1		1	
Pomponius						1	1					2	
Inc. inc. frg.			1	1								2	
Quadrigarius						2						2	
Laberius						1						1	
Varro	3	3	2	2		4	4					18	
Lucretius	5	10					3					18	
Catullus	1	1		1	1	4	1					9	
Sallustius	1			1	4	12		2				20	
C. I. L. I.									1			1	
	37	20	50	24	21	75	32	5	28	3	3	298	4

spectum.[1])

C. imp. p. or. obl.	C. imp. p. att.	S. Conii. p. Indd.	B	I	L	C. imp. p. pr. p. t. c.	Sum. Conii.	S. Conii. p. Indd.	Sum. omn. Conii.	Sum. Indd.	Sum. Summ.
			1				1		1		1
	1 (D)	4	48	20	2	1 (B), 4 (I)	75	4	79	138	217
										3	3
			4	8			12		12	8	20
			1				1		1		1
										3	3
										1	1
		1	16	6		2 (I)	24	1	25	67	92
										1	1
										1	1
			1				1		1	1	2
			1	1			2		2	1	3
			1				1		1		1
										1	1
			1				1		1	2	3
	1 (E)	1	1				1	1	2	2	4
1 (K, b)		1				1 (I)	1	1	2	2	4
										1	1
	1 (J)	1	3	10[2])		2 (B), 3 (I)	18	1	19	18	37
			6	4		1 (I)	11		11	18	29
			3				3		3	9	12
				1	1	3 (B), 1 (I)	6		6	20	26
			7			3 (B)	10		10	1	11
1	3	8	94	50	3	(9 + 12 =) 21	168	8	176	298	474

Monenda: Adnotationes (1, 2) proxima in pagina leguntur.

Omnino in *tabula* genera tantum universa quibus commune est vinculum definite adferenda putavi[3]). Quominus enim singulas species inter se leviter differentes etiam hic distinguerem, obstitit necessaria tabulae forma, quae aliter molestior fuisset. Ceterum particulae usus *causalis* exempla exstant sub A. C. E. F. G. XX, *concessivi* sub G. L. III, *condicionalis* (praeter sub B. L.) sub A. D. K., a. K., b. XIV, *finalis* denique sub I. VIII. Accedunt sub B. exempla XIV proprio sensu *temporalia.*

---

1) Tractavi	sub	A.	particulae usum cum ind. puri praesentis, concurrent. enunt. .
„	„	C.	particulae usum cum ind. puri praesentis, coincidentibus enunt. .
„	„	D.	particulae usum cum ind. praesentis tanquam futuri, concurr. enunt. .
„	„	E.	particulae usum cum ind. praesentis tanquam futuri, coincid. enunt. .
„	„	F.	particulae usum cum ind. praesentis historici, concurr. enunt. .
„	„	G.	particulae usum cum ind. praesentis historici, coincid. enunt. .
„	„	H.	particulae usum cum ind. praesentis terminalem.
„	„	J.	particulae usum cum ind. imperfecti universum.
„	„	K., a.	particulae usum cum ind. futuri, concurr. enunt. .
„	„	K., b.	particulae usum cum ind. futuri, coincid. enunt. .
„	„	K., c.	particulae usum cum ind. futuri terminalem.

Spectat compendium 'C. pr. p. or. obl.' omnino ad coniunctivum praesentis *per orationem obliquam* pro indicativo usurpati. Ipsa in tabula indicatur littera sub qua exempla huius generis reperiuntur. Similiter significat 'C. imp. p. or. obl.' et 'C. imp. per. att.' coniunctivum imperfecti quod aut *per orationem obliquam* aut *per attractionem* pro indicativo exstat.

Tractavi	sub	B.	particulae	usum	cum	coniunct. praesentis	condicionalem.
„	„	I.	„	„	„	„ „	terminalem.
„	„	L.	„	„	„	„ imperfecti	universum.

Spectat 'C. imp. p. pr. p. t. c.' ad coniunctivum imperfecti quod pro praesenti *per temporum consecutionem* invenitur.

2) Exemplum unum Varronianum (De ling. lat. VI, 91), cum ex 'commentario vetere' sit petitum, sub I. ante Plautina (cf. loc.) attuli.

3) *Enumeratio* sane locorum perfecta est.

De adverbiis 'interea', 'interim', 'usque' etc. infra agetur in capite V..

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

His constitutis, ad coniunctionis cum themate *temporis perfecti* usum pergamus.

Cap. IV.

De 'dum' coniunctione cum themate temporis perfecti usurpata.

Rationem quae huic usui cum illo in capite III. tractato intercedit proximo in capite ostendam. Nunc ipsa exempla aggrediamur nostro more disponenda.

A.

Concurrunt enuntiationum tempora.

Solus exstat indicativus perfecti historici.

Loci inveniuntur hi: Plaut. Amph. 599 'Ordine omnem rem, ut quicque actumst, dum apud hostes sedimus, Edissertavit'; Cas. II, 6, 15 'Mihi dum dixi, huic volui'; Epid. 179 'Hercules ego fui, dum illa mecum fuit'; Mil. 1221 'cum ipso pol sum locuta Placide ipsa, dum lubitumst mihi, otiose meo arbitratu' — 'ipsa' F Z, 'ipse' B C D; 'dum' B C D, 'ut' F Z; 'meo arbitratu' Ribbeckius, 'me arbitrii ut volui' B, 'meo arbitratu ut volui' reliqui codd.; sed illud 'ut volui' nimirum glossema est —; Pseud. 256 'Dedi, dum fuit'; Truc. 217 'Dum fuit, dedit'; 380 'Verum tempestas, vita mea, quondam fuit, Quom' e. q. s. — sic Schoellius: 'quondam dum vivixi' A, 'memini quondam' ceteri; sane recte Schoellius 'dum vivixi' pravum esse interpretamentum duxit ad 'quondam' pertinens —; Heaut. 987 'Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio, Quae propior esset, te indulgebant tibi dabant'; Hec. 460 'sane hercle homo voluptati ob-

sequens Fuit, dum vixit'; 461 'vixit, dum vixit, bene'; 594 'Dum aetatis tempus tulit, perfuncta satis sum'; 837 'Ego, dum illo licitumst, usa sum benigno et lepido et comi'; Varr. Men. Papia Papae XIIII (10) Büch. 'dum vixit, promiscas avis mei in chortibus pavit'; Catull. LXVI, 77 'Quicum ego, dum virgo curis fuit omnibus expers, Unguenti Syrii milia multa tibi'; Sall. Iug. 14, 10 'Dum Carthaginienses incolumes fuere, iure omnia saeva patiebamur'.

Corroboratur 'dum' adverbio 'quidem'.

Plaut. Merc. 373 'Usquen valuisti?' perpetuo recte, dum quidem illic fui'.

Coniunctioni respondent haec adverbia vel locutiones adverbiales.

'Anno': Plaut. Truc. 393 'uxor sibi Me habebat anno, dum hic fuit'.

'Parumper': Plaut. Amph. 638 'voluptas Parumper datast, dum viri mei fuit mi potestas videndi Noctem unam modo'.

'Perpetuo': cf. supra Merc. 373.

'Ad illut. . . . .usque': Plaut. Most. 134 'Nam ego ad illut frugi usque et probus fui, In fabrorum potestate dum fui'.

His locis vis latet *causalis*: Plaut. Capt. 925 'ex miseriis plurimis me exemerunt Quas, dum te carendum hic fuit, sustentabam' — sic Acidalius: codd. praebent 'Quae adhuc te carens hic fui' —; Ter. And. 188 'Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, animum ut expleret suom'; 443 'dum licitumst ei dumque aetas tulit, Amavit'.

B.

Coincidunt enuntiationum tempora.

Solus exstat indicativus perfecti.

Exempla perfecti historici haec sunt: Plaut. Mil. 410 'Dum te fidelem facere ero voluisti, absumptus paene'; 506 'meas confregisti

imbrices et tegulas, Ibi dum condignam te sectatus simiam' — 'sectatus' (sectat' C) B C D, 'sectaris' F Z et Servius ad Georg. IV, 296; 'sectarus' Ribbeckius: cum Brixio (*cf. quae dixit ad locum*) 'sectatus' retinendum esse putavi —; Stich. 630 'Dum parasitus mi atque fratri fuisti, rem confregimus'; Ter. And. 832 'incepi, dum res tetulit'.

Vis sentitur *causalis*: Varr. De ling. lat. VII, 82 'imitari dum voluit Euripiden et ponere *ἔτυμον*, est lapsus'; Rer. rust. II, praef. 2 'quod dum servaverunt institutum, utrumque sunt consecuti, ut' e. q. s..

Semel, ni fallor, exstat perfectum praesens: Turp. v. 173 R. 'Dum ego conixi somno, hic sibi prospexit vigilans virginem'.

C.

Constituit enuntiatio subiuncta enuntiationis primariae terminum[1]).

1.

Exstat indicativus perfecti historici.

Exempla sunt: Sall. Hist. I, 10 (Dietsch.) 'Nam iniuriae validorum......domi fuere iam inde a principio neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum'.

Corroboratur 'dum' adverbio 'usque'.

Catull. XLIV; 14 'Hic me gravedo frigida et frequens tussis Quassavit, usque dum in tuum sinum fugi'.

Coniunctioni respondent adverbia 'usque adeo'.

C. Semp. Gracch. frgm. 6 (Meyer. Orat. Rom. Fragm., p. 236) 'struppis, quibus lectica deligata erat, usque adeo verberari iussit, dum animam efflavit'.

---

1) Originem huius usus omnino sub H. (cap. III.) explanavi.

Semel exstat coniunctivus plusquamperfecti per orationem obliquam pro indicativo perfecti: Plaut. Merc. 78 'se.....Navem..... Parasse et ea se mercis vectatum undique * * * * * * * * * * *, Adeo dum, quae tum haberet, peperisset bona' — corroboratur 'dum' adverbio 'adeo' —.

2.

Exstat indicativus futuri exacti.

Corroboratur 'dum' his adverbiis.

'Usque adeo': Cat. De agr. cult. LVI 'conpeditis per hiemem panis P. IIII (dato). ubi vineam fodere coeperint, panis P. V, usque adeo dum ficos esse coeperint'.

'Usque': Cat. De agr. cult. CX 'si demptus erit odor deterior, id optime; si non, saepius facito, usque dum odorem malum dempseris'; CXII, 3 'tum acina de uvis miscellis decarpito de scopione, in idem dolium, usque dum impleveris, manu conprimito acina'.

Coniunctioni respondent haec adverbia.

'Saepius': cf. supra Cat. De agr. cult. CX.

'Usque': Plaut. Pers. 82 'Usque ero domi, dum excoxero lenoni malam rem magnam'.

. . . .

. . . .

. . . .

Usus 'dum' coniunctionis et cum themate *temporis perfecti* et *totius coniunctionalis* appono

Conspectum.[1])

	A	B	C, 1	C, 2	Coni. plusq. p. or. obl. pro ind.	Summa	Sum. us. c. them. temp. praes.	Sum. Summ.	Sum. Indicc.	Sum. Conii
Naevius							1	1		1
Plautus	11	3		1	1 (C, 1)	16	217	233	153	80
Ennius							3	3	3	
Cato				3		3	20	23	11	12
Pacuvius							1	1		1
Caecilius							3	3	3	
Titius							1	1	1	
Terentius	7	1				8	92	100	75	25
Titinius							1	1	1	
Turpilius		1				1	1	2	2	
Accius							2	2	1	1
Lucilius							3	3	1	2
Gracchus			1			1		1	1	
Afranius							1	1		1
Novius							1	1	1	
Pomponius							3	3	2	1
Inc. inc. frg.							4	4	2	2
Quadrigarius							4	4	2	2
Laberius							1	1	1	
Varro	1	2				3	37	40	21	19
Lucretius							29	29	18	11
Catullus	1		1			2	12	14	11	3
Sallustius	1		1			2	26	28	22	6
C. I. L. I.							11	11	1	10
	21	7	3	4	1	36	474	510	333	177

1) Qualia quidem exempla sub A. B. etc. tractata sint, cum ipsum caput sit brevissimum, hic rursus indicare nolui. Ceterum usus particulae *causalis* exempla exstant sub A. III.

Horum locorum, ubi *enuntiatio tantum subiuncta* legitur, omnino rationem non habui: Plaut. frg. inc. 71 (Bothe.), ('valde dubiosum', Winter., p. 81); Enn. Ann. 472; 486; Sat. 2; Cat. Inc. lib. rel. 17 (Jordan.); Caec. v. 275 R.; Lucil. Lach. 996; Nov. v. 19 R.; Laber. v. 57 R.; Varr. Men. *ΠΕΡΙ ΕΞΑΓΩΓΗΣ* V (6) Büch.; Sisenna frg. 116 (Peter.); Sall. Hist. inc. lib. rel. 96 (Dietsch.).

Cap. V.

De universa particulae constructione.

Opusculo satis operoso, quantum ad locos attinet laudandos, ad finem[1]) tandem perducto, certe operae pretium erit, generalem quandam doctrinam, antequam ad umbilicos omnino perveniamus, e tanto exemplorum acervo eruere conari.

Primum quidem relationem illius cum themate *praesentis* usus ad hunc cum themate *perfecti* curiosius scrutemur. Etenim numeri quos supra in tabula descripsi (CCCCLXXIIII, XXXVI) praeceptum aliquod, ni fallor, grammaticum nobis dabunt attente animadvertentibus.

Dicam quod sentio. Particulam propter *naturam* eius, quantum ad *praesentis* thema attinet, *expletivam*[2]) vel, ut verbum fingam, *complementariam* primum, licet in temporibus satis remotis, *cum hoc themate tantum* usurpatam esse opinor.

Quae quidem me in hanc sententiam trahunt haec sunt: notat in iis quae laudavi exemplis 'dum' cum indicativo praesentis, quo in tempore scilicet illa thematis praesentis *durandi* notio imprimis eminet, non solum ipsum praesens (III. A., C.) sed quodam modo etiam futurum (III. D., E.) et perfectum (historicum[3]) (III. F., G.), Qui usus in nulla alia, ni fallor, particula *pariter numerosi* occur-

1) Restat illud 'dumtaxat' quod in appendice excutiam.

2) Cf. quae dixi initio capitis III.

3) Cf. Kluge. l. c., p. 76; cuius tamen ἀπορίαν tota hac quaestionis explanatione solvere pro viribus conatus sum.

runt. Videtur enim 'dum' cum indicativo praesentis amore quodam coniunctum paene *omnes* temporis rationes ita exprimere olim esse conatum, et hoc inceptum suum 'antiquissimis temporibus' re vera peregisse. Sane exstat, et tunc quoque exstabat, particula cum indicativo imperfecti (III. J.) et futuri (III. K., a., b., c.), ambobus tamen ad *praesentis* thema referendis. Nec aliter quantum ad thema attinet, usus cum coniunctivo praesentis (III. B., I.) et imperfecti (III. L.) se habent. Huc, id est ad *praesentis* thema, omnino respiciunt, ut iam dixi, loci ex CCCCCX CCCCLXXIV.

Thema quidem *perfecti* solum praebent (IV. A., B., C.) loci ex CCCCCX XXXVI.

Mihi igitur hanc exemplorum tam abnormem condicionem reputanti particula nostra illi cum themate perfecti societati quasi vi et armis ita repugnasse videtur, ut necessitate quadam logica impulsus in hanc quam dixi opinionem venerim, *primum* illam cum themate solo praesentis, *postea* demum cum themate perfecti esse usurpatam. Nec tamen usum cum temporibus perfectis etiam ad parataxin et correlationem referendum esse, negare velim.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

Neminem scilicet in opusculo perlegendo hoc fallere potuit, adverbia illa quae in enuntiatione subiuncta 'dum' coniunctionem corroborant et haec quae in primaria ei respondent tamquam de industria per se semper allata esse. Quae quidem haud sine causa, ut opinor, eminere volui. Nam indicant mirum quantum usus particulae coniunctionalis universam e *correlatione*[1]) originem, qua de re, ut maximi momenti, omnem dubitationem argumentis tollendam esse existumo.

1) Praecessit sane parataxis correlationi, sed haec quasi pro fundamento totius constructionis, ut in capite II. ostendi, habenda est.

Iam correlationis forma primitiva et necessaria locutio illa fuit 'dum . . . . . . dum', in qua particula prior vim relativam, altera demonstrativam habet. Hanc relationem correlativam usu confirmatam mox cupido priscis Latinis incessit *etiam lucidiorem* reddendi, captantibus, ut mos est hominum incultiorum, praeter omnia perspicuitatem. Itaque utrique particulae et relativae et demonstrativae praeterea addiderunt adverbia correlativa, ut vocularum omnium generum quasi acervatio fieret; nec cum 'dum' demonstrativo propter iterationem ('dum . . . . . . *dum*') cultioribus auribus iniucundam atque molestam omisso haec adverbia interierunt, sed cum nostri ad rem grammaticam magno fructu superstitia priscam coniunctionis constructionem in omne tempus testificantur.

Quae autem adverbia in correlativa per eminentiam divisi et correlativa simplicia, quorum altera in utraque[1]) enuntiatione usurpari possunt, altera (praeter 'cotidie' et 'semper') nonnisi in primaria,

Correlativa illa per eminentiam haec sunt: 'adeo', 'interea', 'interim', 'nunc', tantisper', 'usque'.

Adverbium quidem 'adeo' solum occurrit, ubi coniunctio sensum praebet limitivum. Exstat in enuntiatione subiuncta his locis: H.[2]) Plaut. Merc. 657; IV. C., 1 Plaut. Merc. 78: in primaria hoc loco: H. Ter. Phor. 737. Similiter usurpatur, 'adeo (usque'), sed in enuntiatione tantum subiuncta: H. Plaut. Asin. 328; K., c. Plaut. Amph. 472. De 'usque (adeo') infra dicam. Vertimus 'adeo dum' 'so lange bis', 'adeo usque dum' 'so lange immer bis'.

Legitur adverbium 'interea' in enuntiatione subiuncta his locis: B. Plaut. Most. 71; E. Plaut. Merc. 778; G. Ter. Phor. 91: in primaria his: E. Plaut. Asin. 914, Inc. inc. fab. v. 170 R. (Fragm. Trag.); G. Plaut. Amph. 1098, Ter. Eun. 255, 592, Heaut. 242, 257, Varr. Men. Endym. III (6) Büch.; H. Ter. Ad. 785, Eun. 894, Heaut. 833, Varr. Rer. rust. I, 2, 2.

---

1) Nec aliter eadem adverbia in ambobus enuntiationibus occurrunt in exemplis his Theodiscis: 'Man mummelt so lang von einem Ding biss es ausbricht,' Agricola 459. Daselbst auch: 'biss so lang es ausbricht'. (Vernaleken. l. c. II, p. 377.)

2) Spectant litterae, nisi addito capitis numero, omnes ad caput III.

Exstat 'interea (usque') in enuntiatione primaria K., a. Ter. Heaut. 138.

Invenitur adverbium 'interim' in enuntiatione subiuncta his locis: G. Ter. Eun. 842, Pomp. v. 189 R.: in primaria his: G. Plaut. Mil. 1271, Rud. 37 (prol.), Stich. 367, Trin. 30; I. Plaut. Trin. 757, Truc. 715; K., b. Plaut. Men. 214; L. Plaut. Rud. 1261.

Occurrit adverbium 'nunc' in enuntiatione subiuncta his locis: A. Plaut. Amph. 980, Truc. 713; D. Plaut. Most. 20, 217, Poen. 42, 43: his autem in primaria: A. Ter. Ad. 108; D. Ter. And. 597; I. Plaut. Pseud. 1234; K., a. Plaut. Amph. 95.

Exstat adverbium 'tantisper' in enuntiatione subiuncta: A. Plaut. Truc. 11 (prol.); I. Plaut. Rud. 1190; K., a. Plaut. Cas. II., 8, 50: in primaria: A. Plaut. Men. 194, Ter. Heaut. 147; B. Cat. Inc. lib. rel. 3 (Jordan.); D. Ter. Ad. 70; H. Plaut. Most. 683; K., a. Ter. Heaut. 106.

Adverbium 'usque' quod sensum praebet temporalem fere 'all' die weil', velut in hoc loco Vergiliano (Ecl. IX, 64), 'cantantes licet usque, minus via laedit, eamus', in enuntiatione subiuncta exstat his locis: A. Plaut. Truc. 322; F. Men. 105; H. Plaut. Asin. 328 ('adeo *usque*'), Catull. LXI, 161; I. Cat. De agr. cult. CLX (bis); K., a. Plaut. Men. 728, Cat. De agr. cult. XXX (bis), Ter. Heaut. 136; K., c. Plaut. Amph. 472 ('adeo *usque*'), Cat. De agr. cult. XXII, 2, Varr. Rer. rust. III, 9, 3; IV. C., 1. Catull. XLIV, 14; IV. C., 2. Cat. De agr. cult. CX, CXII, 3; in primaria: A. Plaut. Truc. 104; B. Ter. Phor. 1030; F. Ter. Heaut. 983; I. Cat. De agr. cult. CVII, 2; K., a. Ter. Heaut. 138 ('interea *usque*'); IV. C., 2. Plaut. Pers. 52.

Exstat 'ad illut . . . . . usque' in enuntiatione primaria IV. A. Plaut. Most. 133.

Invenitur 'usque adeo' in enuntiatione subiuncta: IV. C., 2. Cat. De agr. cult. LVI: in primaria: B. Ter. Eun. 741; H. Lucr. IV, 1113; I. Cat. De agr. cult. LXXXXV, 1; IV. C., 1. C. Gracch. frg. 6 (Meyer., p. 236).

Adverbiorum autem ad relationem correlativam declarandam coacervatorum specimen dat luculentum hic locus Terentianus (Heaut. 136 sqq.), cui 'dum' addidi *demonstrativum*, scilicet non ut textum emendarem, sed ut *pristinae condicionis* exemplar praeberem: 'nam *usque dum* ille vitam illam colet Inopem carens patria ob meas iniurias, *Interea usque* (*dum*) illi de me supplicium dabo'.

Occurrit quidem adverbium 'adeo'[1]) in enuntiatione subiuncta *quinquies*, in primaria etiam *quinquies*, adverbium 'interea' in subiuncta *ter*, in primaria *terdecies*, adverbium 'interim' in subiuncta *bis*, in primaria *octies*, adverbium 'nunc' in subiuncta *sexies*, in primaria *quater*, adverbium 'tantisper' in subiuncta *ter*, in primaria *sexies*, adverbium 'usque' in subiuncta *septies decies*, in primaria *undecies*.

Omnino exstant haec adverbia per eminentiam correlativa in enuntiatione subiuncta *sexies et tricies*, in primaria *septies et quadragies*.

Correlativa simplicia in adverbialia divisi et nominalia, quorum primum adverbialia adferam. Occurrunt praeter 'cotidie' et 'semper' nonnisi in enuntiatione *primaria*.

Invenitur adverbium 'adhuc' *semel*, F Sall. Hist. I, 41, 6; 'admodum' *semel*, I. Cat. De agr. cult. CLVI, 2; 'adsiduo' *semel*, K., a. Plaut. Mil. 50; 'aliquantisper' *semel*, D. Plaut. Pseud. 571; 'atque' notione 'plötzlich' (cf. Ribbeck. Beitr., p. 22) *semel*, G. Plaut. Bacch. 279; 'cotidie' (in enuntiatione subiuncta) *bis*, B. Plaut. Men. 90, K., a. Cat. De agr. cult. CXL; 'dudum' *semel*, F. Ter. Heaut. 983; 'iam dudum' bis, I. Varr. Rer. rust. I, 51, F. Plaut. Cas. II, 6, 15; 'etiam atque etiam' *semel*, D. Ter. Eun. 56; 'iam' *bis*, G. Plaut. Pseud. 1279, H. Plaut. Men. 329; 'ibei' (sensu temporali) *semel*, F. Enn. Ann. 261; 'ilico' *ter*, B. Plaut. Capt. 608, H. Plaut. Rud. 878, I. Plaut. Rud. 328; 'interdum' *semel*, C. Lucr. V, 1099; 'longe' (sensu temporali) *semel*, Varr. Rer. rust. II, 1, 5; 'modo' *bis*, C. Caec. v. 108 R. notione 'nur', G. Plaut. Epid. 650 notione 'eben'; 'numquam' *quinquies*, B. Plaut. Men. 92, K., a. Plaut. Pseud. 339, 507, Truc. 440, Ter. Ad. 157; 'parumper' *bis*, H. Ter. And. 714,

1) 'Adeo usque', 'interea usque', 'usque adeo' in eorum elementa resolvi ad numerandum.

IV. A. Plaut. Amph. 638; 'paulisper' *ter*, D. Plaut. Mil. 196, Rud. 1036, I. Plaut. Amph. 696; 'perpetuo' *semel*, IV. A. Plaut. Merc. 373; 'plerumque' *semel*, I. Ter. Phor. 90; 'porro' *bis*, B. Ter. Hec. 634, D. Plaut. Bacch. 1006; 'proin' *bis*, D. Ter. Eun. 56, E. Inc. inc. fab. v. 29 R. (Fragm. Trag.); 'saepe' *semel*, B. Cat. De agr. cult. V, 4; 'saepius' *bis*, C. Varr. Men. Agatho VII (4) Büch., IV. C., 2. Cat. De agr. cult. CX; 'semper' in enuntiatione subiuncta *semel*, B. Plaut. Curc. 664, in primaria *bis*, B. Plaut. Asin. 166, Ter. Eun. 951; 'tantum modo' *semel*, F. Sall. Iug. 53, 3; 'tamen' *semel*, C. Lucr. III, 593. 'tum' *semel*, E. Ter. Phorm. 549.

Omnino exstant haec correlativa simplicia adverbialia in enuntiatione subiuncta ('cotidie', 'semper') *ter*, in primaria *ter et quadragies*.

Correlativa simplicia nominalia haec inveni: 'Anno' *semel*, IV. A. Plaut. Truc. 393; 'biduum aut triduum' *semel*, I. Varr. Rer. rust. II, 2, 15; 'totum diem' *semel*, F. Ter. Hec. 800; 'aliquot dies' *quinquies*, D. Plaut. Poen. 1421, H. Plaut. Curc. 241, Mil. 582, Ter. And. 328, I. Cat. Orig. V frg. 1, 1 (Jordan.); 'hos dies multos' *semel*, F. Plaut. Men. 104; 'paucos dies' *semel*, F. Sall. Cat. 36, 1; 'amplius horam' *semel*, F. Catull. XCIX, 3; 'ad illut[1]) . . . . (usque') *semel*, IV. A. Plaut. Most. 133; 'hac nocte' *semel*, G. Ter. Heaut. 491; 'triduom hoc' *ter*, H. Plaut. Truc. 874, Ter. Phor. 513, I. Plaut. Asin. 428.

Omnino exstant haec correlativa simplicia nominalia in enuntiatione primaria *sexies decies*.

Invenitur correlativa omnium generum in enuntiatione subiuncta *novies et tricies*, in primaria *centies sexies*.

. . . .

. . . .

Adverbia denique 'modo'[2]), 'quidem', 'equidem', quae in enuntiatione subiuncta coniunctionem corroborant, vis tamen correlativae

1) Hanc locutionem correlativam quamquam pronominalem brevitatis causa hic laudavi.

2) Duo adverbii exempla quae supra inter correlativa simplicia adverbialia attuli longe alia sunt.

fere nihil habent hic adferam. Occurrit 'modo' his locis: B. Plaut. Amph. 644, Aul. 239, Epid. 270, Mil. 254, 784, Ter. Eun. 320, Heaut. 466, 641, Afran. v. 409 R., Varr. Men. Marcipor XVII (7) Büch., Rer. rust. III, 17, 9, Lucr. III, 410, IV, 631; I. Plaut. Asin. 935. Invenitur 'quidem': B. Plaut. Aul. 211, Curc. 704, Merc. 424, Pers. 657, Stich. 687, Trin. 58; D. Plaut. Asin. 463; K., a. Plaut. Asin. 870, Bacch. 226, Pseud. 507; IV. A. Plaut. Merc. 373; 'equidem' hoc uno: B. Plaut. Stich. 554.

Omnino exstat cum coniunctione 'modo' *quaterdecies*, 'quidem' *undecies*, 'equidem' *semel*.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Sed propero ad finem. Nam, ut de libello valde pedestri Vergilianum illud laudem,

> '*immensum spatiis confecimus aequor,*
> *Et iam tempus equum fumantia solvere colla*'.

Ergo particulae historiae summam quam brevissimam proponemus.

Primum quidem, si *coniectura* uti licet, 'dum' exstabat adverbium simplex *locale* demonstrativum, ex qua significatione orta est adverbii vis *temporalis.* Hoc adverbium, sive locale sive temporale, verborum duorum inter se logice conexorum[1]) utrique accedebat in *parataxi*, ut fieret haec locutio 'dum . . . . . dum'. Quae tamen hoc tempore nonnisi cum themate *praesentis* occurrere solebat, additis utrique particulae compluribus adverbiis confirmativis. Deinde in hanc condicionem *perfecti* quoque thema se insinuavit, quo facto particula *cursus modalis primam iam partem* confecerat. Hanc *parataxeos*

---

1) De usu scilicet 'bald — bald' semper demonstrativo non loquor.

condicionem gradatim, nec mutata locutionis forma, proxime secuta est *correlatio* illa, cuius tria exempla cogere potuimus. Ex qua, amissa particula secunda, i. e. ea quae vim *demonstrativam* conservarat, processit denique ipsa *hypotaxis*, retentis tamen et in enuntiatione subiuncta et in primaria haud raro adverbiis illis confirmativis. Usurpatur nimirum in *hypotaxi* 'dum' coniunctio praesertim cum themate praesentis, eiusque natura varia in hoc apparet, quod sensum praebet non solum plane *temporalem*, sed etiam *causalem*, *condicionalem*, *concessivam*, *finalem*.

Pristina autem vis *adverbialis temporalis*, quamquam *per se* nonnisi apud priscos scriptores occurrit, in 'nondum', 'agedum' etc. semper in lingua Latina perduravit.

Appendix.

De adverbio 'dumtaxat'.

Hoc adverbium, quoniam supra in capite I. sub usu adverbiali bene tractari non potuit, hic seorsum indagare mihi visum est.

Originem enim, si ultimam spectas, trahit ex 'dum' particula iam *coniunctione* facta et verbo 'taxare'. Fuit igitur 'dum....taxat' — nam sic olim scribebatur — enuntiatio subiuncta, quae quemadmodum in unum coacta adverbium purum putum exstiterit, edisserere conabor.

Scilicet haec locutio in legibus[1]) tantum principio usurpabatur tertiaque in verbo 'taxat' persona ita facile explanari potest, quod semper in earum praeceptis haec persona, praesertim singularis, occurrit, numquam altera[2]). Totius autem in vim adverbialem mutationis ratio exemplis melius declarabitur.

Primum quidem locum ex lege Silia[3]) afferro ante annum A. V. C. DL. lata, quem cum Mommseno (C. I. L. I, p. 48) ita scripsi: 'Si quis magistratus adversus h. l.[4]) d. m. pondera modiosque vasaque publica modica minora maiorave faxit iussitve[5]) fieri, dolumve adduit, quo[6]) ea fiant, eum qui[7]) volet magistratus multare[8]), dum

1) Vel in locutionibus negotiatoriis.

2) Cf. R. Schoell. Legis duod. tab. rel., p. 76 et eundem apud Graecos usum in lege Gortynia nuper reperta.

3) Cf. Fest., p. 246 M.; Lange. Röm. Alterth. II.[3], p. 670.

4) *Cod.* 'hac'.

5) *Cod.* 'iussit vere'.

6) *Cod.* 'que', non 'quod'.

7) *Cod.* 'quis'.

8) *Cod.* 'multaretur'.

minore parti familias taxat, liceto'. Praebent haec verba locutionis 'dum.....taxat' condicionis pristinae specimen luculentum. Quamvis enim forsitan vis *adverbialis* etiam hic subaudienda sit, tamen *exempli* causa sic verto:.....'denselben darf jeder Magistrat, der es will, strafen, während er (die Sache) abschätzt (vel 'indem er es genau nimmt'), um den kleineren Theil seines Eigenthums'. Quod quidem dico, ut clarius appareat, verba sic constituenda: 'eum quis volet magistratus multare, dum taxat, minore parti familias (multare) liceto'. Pendent scilicet verba 'minore parti' ex verbo 'multare' supplendo. Est igitur 'taxat' praesens indicativi ad futurum plus minus hic spectans, concurruntque actiones verborum 'taxat' et ('multare) liceto', ut verbo 'während' re vera notionem 'so lange' exprimamus. Habet denique coniunctio 'dum' vim leviter *condicionalem*, quod verbo 'indem' indicavi.

Haec autem omnia re vera eo redeunt, ut verba 'dum .... taxat', si *sensum* respicias, vim *adverbialem* hic praebeant 'genau genommen' vel 'nur', id est 'nicht mehr als das rechte Mass'. Nec tamen adverbii *origo* sine dubio coniunctionalis neglegenda est.

Eandem significationem, id est 'nur', ostendit hoc exemplum alteri simillimum: C. I. L. I, 197, 12 'Sei quis mag(istratus) multam inrogare volet, *quei volet, dum minoris* partus familias taxat, liceto' — verba '*quei .... minoris*' recte sine dubio restituit Mommsenus —. Sic vertimus, cum verba 'minoris partus' ex verbis 'multam (inrogare') supplendis pendeant: 'wenn ein Magistrat eine Strafe auferlegen will, so soll es ihm erlaubt sein wem er will, jedoch nur den kleineren Theil des Eigenthums'.

His quidem locis utrum 'dum .... taxat' pro enuntiatione subiuncta an adverbio tantum re vera habendum sit, in dubio relinquo. Pristina vero, ut iam dixi, adverbii condicio eiusque origo in iis clare apparet.

Quoniam autem *sensus* in locutione omnino adverbialis homines sibi conscii facti erant, *verbis iuxta compositis* sic illam scribere consuescebant: 'dum taxat'. Est haec quasi *secunda* eius condicio et quidem sine dubio adverbialis cuius haec exstant exempla[1]): C. I. L.

1) Significat hic quoque adverbium 'nur'.

I, 198, XXXIII '*queive eius, quoius ex h(acc) l(ege) nomen delatum erit,* causam deicet dum taxat unum, ...' — verba '*queive ... c*' supplevit Mommsenus. Vertimus, cum verba 'testimonium dicere ne liceto' vel similia intellegenda sint iis quae descripsi praemissa: 'Es darf nicht Zeugnis ablegen .... oder der welcher die Vertheidigung desjenigen, dessen Namen nach diesem Gesetz angezeigt wird, nur einmal führen wird'. Conferendum est cum insolito adverbio 'unum' ('einmal') 'noenum' ('ne unum') —; ibid. XXXIV '*Is quei petet sei quos ad testimonium deicendum evocarit* secumve duxerit dum taxat homines IIL' — verba '*Is .... evocari* —' restituit Mommsenus —; C. I. L. I, 200, XXXVIII 'inde alternos du*m taxat quaternos is quei petet et is unde petetur, quos volent, reiciant facito*' — verba '*-m .... facito*' restituit idem vir doctus —.

Exempla ex scriptoribus[1]) petita quae significationem 'nur' praebent haec sunt: Cat. De agr. cult. XXI, 5 'cupam qui concinnet et modiolos qui indat et plumbet, operas fabri dumtaxat H S VIII', e. q. s.; XLVIII, 1 'Vineam veterem si in alium locum transferre voles, dumtaxat bracchium crassam licebit'; Lucil. 507 L. 'et horae Dimidio et tribu' confectis dumtaxat eandem Ad quartam'; Varr. Men. Modius XIIII (16) Büch. 'quibus mota voluptate cum edunt, dumtaxat gula gaudet'; Rer. rust. I, 40, 6 'in quamcumque arborem inseras, si eiusdem generis est, dumtaxat ut sit utraque malus, ita inserere oportet' e. q. s.; II, 1, 2 'Ego vero, inquam, dicam dumtaxat quod est historicon'; III, 3, 6 'Primus enim ille gradus anticus maiorum nostrum erat, in quo essent aviaria duo dumtaxat'; 3, 9 'In tertia parti quis habebat piscinam nisi dulcem et in ea dumtaxat squalos et mugiles pisces'?; Lucr. II, 931 'Quod si forte aliquis dicet, dumtaxat oriri Posse ex non sensu sensus mutabilitate, Aut' e. q. s. — vertimus: 'Wenn aber Jemand behauptet, es könne Gefühle aus Gefühllosem entstehen nur durch eine (innere) Veränderung (zu der das Atom befähigt wäre), oder' etc. —; III, 377 'Tum (elementa animai) numero quoque concedunt et rara per artus Dissita sunt dumtaxat, ut hoc promittere possis'.

Cum autem adverbium 'dumtaxat' vim habeat 'genau genommen', non est, quod hoc etiam 'mindestens' significare miremur, id est

1) Hanc formam cum grammatici posteriores ut totum aliquod contemplentur, originem eius *coniunctionalem* prorsus ignorant. Cf. Priscian. (Keil. l. c., p. 78): 'In t 'sat' pro 'satis' et 'dumtaxat' quod ab *adverbio* componitur et verbo'.

'nicht weniger als das rechte Mass'. Quam quidem notionem perbene illustrat hic locus (Alf. Varus Dig. L, 16, 202): 'Cum in testamento scriptum esset, ut heres in funere aut in monumento 'dumtaxat aureas centum' consumeret, non licet minus consumere: si amplius vellet, licet', e. q. s.. Hanc significationem exhibet apud priscos scriptores unus tantum locus: Plaut. Truc. 445 'Iubebo ad istam quinque deferri minas, Praeterea una obsonari dumtaxat mina'.

Restat unum exemplum, praebente adverbio notionem 'insofern als'[1]), quae illi 'nur' simillima est: Lucr. II, 123 'Conicere ut possis ex hoc, primordia rerum Quale sit in magno iactari semper inani, Dumtaxat rerum magnarum parva potest res Exemplum dare' e. q. s.

Denique animadvertendum est, hoc adverbium praesertim exstare apud iuris peritos, quae res eius ex *legali* usu originem videtur enuntiare.

Omnino invenitur apud priscos scriptores 'dumtaxat' notione 'nur' *quindecies*. Pertinent ad leges exempla *quinque*, ad Catonem *duo*, ad Lucilium *unum*, ad Lucretium *duo*, ad Varronem *quinque*.

Semel habet Plautus significationem 'mindestens'.

Semel legitur apud Lucretium vis 'insofern als'.

Locorum summa est XVII.

---

1) Consentiunt de hoc loco viri docti fere omnes.

VITA.

Natus sum Georgius Morey Richardson Non. Iul. a. MDCCCLIX in vico Civitatis Rerum Publicarum Foederatarum Massachusettensis cui nomen Framingham est, patre Carolo, matre Helena e gente Hayward, quorum patrem lugeo ante hos octo annos vita defunctum, matrem adhuc vivere cotidie gaudeo.

Primis litterarum linguaeque Latinae elementis in vico meo instructus, annorum undecim puer a. h. s. LXXI scholae nomine St. Mark's School in vico Southborough positae erudiendus traditus sum, ubi per duos annos linguis Graecae et Latinae ceterisque bonarum artium rudimentis tirunculus me applicavi. Tum per annos etiam duos linguis Theodiscae et Francogallicae in Europa dedi operam, unde in patriam reversus, cum Exoniae in Civitate New Hampshire in schola quae vocatur The Phillips Exeter Academy ad linguas Graecam et Latinam etc. iterum me contulissem, a. h. s. LXXVIII in numerum civium Collegii Harvardiani quod est Cantabrigiae in Civitate Massachusettensi receptus sum. Ibi per annos quattuor artibus liberalibus, imprimis linguis antiquis, deditus audivi professores ill. Child, Goodwin, Greenough, Hedge, Lane, Laughlin, Macvane, Norton, Palmer, Smith, J. W. White, et cursu academico peracto a. h. s. LXXXII ad gradum Baccalaurei in Artibus admissus sum.

Eiusdem anni auctumno, cum in Germaniam philologiae quasi sedem transissem, civibus Universitatis Ienensis ascriptus hic per unum semestre studiis meis operam navavi. Deinde vere a. h. s. LXXXIII Berolinum, auctumno Lipsiam transmigravi. Per haec octo semestria in philologiae praesertim studia incubui, et audivi professores ill. Arndt, E. Curtius, G. Curtius, Delbrück, Eucken, Gaedechens, Goetz, Heinze, Hildebrand, Hübner, Kirchhoff, Lange, Lipsius, E. Meyer, Ribbeck, M. Schmidt, Techmer, Wattenbach. Praeterea Ribbeckius benigne mihi permisit, ut societati suae philologae per duo semestria sodalis interessem ordinarius.

Quibus omnibus viris clarissimis, studiorum meorum fautoribus atque adiutoribus, imprimis Georgio Martino Lane et Ioanni Williams White Cantabrigiensibus, Georgio Goetzio Ienensi, Ottoni Ribbeckio Lipsiensi gratias ago atque semper habebo quam maximas.